BX 920
.L759
R3
Copy 1

LIBRARY OF CONGRESS.

[SMITHSONIAN DEPOSIT.]

Chap. BX920

Shelf. L759R3

UNITED STATES OF AMERICA.

DE LOVANIENSIUM

SCHOLA THEOLOGICA

ORATIO

ET ANALECTA ACADEMICA

THE LIBRARY
OF CONGRESS
WASHINGTON

DE LAUDIBUS QUIBUS

VETERES LOVANIENSIUM THEOLOGI

EFFERRI POSSUNT

ORATIO

QUAM DIE VIGESIMA SEXTA MENSIS JULII MDCCCXLVII
HABUIT

PETRUS FRANC. XAV. DE RAM

RECTOR UNIVERSITATIS CATH. IN OPPIDO LOVANIENSI

QUUM VIROS ERUDITISSIMOS

HENRICUM JOANNEM FEYE

SS. CANONUM DOCTOREM

ET

CAROLUM DE BLIECK

S. THEOLOGIÆ DOCTOREM

MORE MAJORUM RENUNCIARET

SMITHSONIAN INSTITUTION

LOVANII

EXCUDEBANT VANLINTHOUT ET VANDENZANDE,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

1848

BX920
L759R3

REVERENDISSIMO · EXCELLENTISSIMO

ALEXANDRO · COMITI · DE · SAN · MARZANO

ARCHIEPISCOPO · EPHESINO

APUD · BELGARUM · REGEM · NUNCIO · APOSTOLICO

VIRO

RELIGIONIS · STUDIO · CONSILII · COPIA · SCIENTIAE · LAUDE

PRAESTANTISSIMO

LITERARUM · ET · BONARUM · ARTIUM · FAUTORI

ALMAE · MATRIS · NOSTRAE · PATRONO

CUI · HUNC

DE · REBUS · AD · LOVANIENSIUM · THEOLOGOS

SPECTANTIBUS · LIBELLUM

OBSEQUII · HONORIS · VIRTUTISQUE · CAUSSA

D · D · D ·

PETRUS · FRANCISCUS · XAVERIUS · DE · RAM

L. S.

Postulantibus iis, ad quorum voluntatem nutumque me lubenter converto, hæc typis editur Oratio DE LAUDIBUS QUIBUS VETERES LOVANIENSIUM THEOLOGI EFFERRI POSSUNT. *Ut uberrimum illud argumentum paulo plenius innotesceret, Orationi apposui notarum seriem,*

quibus capita præcipua historiæ Facultatis Theologicæ illustrantur.

Ad calcem alterius orationis DE DOCTORIS CATHOLICI DIGNITATE ET OFFICIO *adjecta sunt Ordinationes et Præscripta, quæ hodie apud nos pro graduum academicorum in S. Theologia et Jure Canonico servantur. Hoc autem loco pro appendice adjungere opportunum fore duxi* Statuta Facultatis Theologiæ Lovaniensis, *hucusque inedita, et* Instructiones pro Magisterio in S. Theologia, *olim ex Actis et Statutis Facultatis theologicæ collectas. Similia veteris ævi monumenta pertinent ad Academiarum historiam, de qua bene meritus est Vir Cl.* C. MEINERS *in opere quod inscribitur :* Geschichte der Enstehung und Entwickelung der hohen Schulen unsers Erdtheils; *Gottingæ* 1802, *vol.* 4 *in*-8.

Altera sequitur appendicula, scilicet Sup-

plementum ad Valerii Andreæ Fastos doctorales S. Theologiæ, *collectum ex Cod. MS. Archidiaconi* FOPPENS, *qui in regia Bibliotheca Bruxellensi servatur sub n°* 2599, *atque ex Collectaneis MSS.* JOANNIS LAMBERTI BAX, *quondum procuratoris collegii Majoris S. Spiritus, aliisque documentis literariis. Hoc supplemento series Doctorum, qui gradum illum Lovanii adepti sunt, ab anno* 1648 *ad nostram usque ætatem perducitur.*

Si mihi otium fuisset, id pro meo in Academiam Lovaniensem studio faciendum mihi proposueram, quod fecit Cl. JOSEPHUS HARTZHEIM *pro sua Coloniensi academia in opere quod inscribitur :* Prodromus Historiæ Universitatis Coloniensis, quo exhibetur synopsis actorum et scriptorum a Facultate theologica pro Ecclesia Catholica et Republica; *Coloniæ* 1759, *pagg.* 40 *in-4. Simili scripto, chronologico*

ordine digesto, hisce nostris analectis academicis finem imponere animo destinaveram; sed hanc operam in aliud tempus differre cogor.

Lovanii die 8 mensis junii MDCCCXLVIII.

ORATIO

IMPRIMATUR.

Datum Mechliniæ 22 junii 1848.

ENGELBERTUS *Card. Arch. Mechl.*

Romanæ ecclesiæ princeps eminentissime, Belgii metropolita et primas illustrissime;

Sedis apostolicæ nuncie excellentissime, illustrissime;

Gandavensis ecclesiæ antistes reverendissime;

Districtus Bredani vicarie apostolice, Dardaniensis præsul reverendissime;

Doctoralis laureæ candidati eruditissimi;

Facultatis theologicæ decane et magistri, aliorumque ordinum professores, viri eximii, clarissimi, doctissimi;

Qui in hac civitate rei sacræ et civili præestis, viri plurimum reverendi, prudentissimi;

Cives academici, juvenes dilectissimi, ceterique auditores, quotquot adestis, honoratissimi.

Ante annos aliquot quum primus, post restitutam Academiam, Sacrorum Canonum doctor more Majorum renunciaretur, verba feci de Doctoris catholici dignitate et officio (1). Jam

vero, prius quam doctoralis laurea conferatur viris præstantissimis et alumnis nobis carissimis Henrico Joanni Feye et Carolo De Blieck, opportuna diceńdi materia mihi visa est expositio eorum quæ probent Veteres Lovanienses Theologos gravissima doctoris catholici officia pie et rite ad Ecclesiæ et Reipublicæ gloriam et incolumitatem semper adimplevisse. Rerum ab illis gestarum enarratio, ut vobis, Auditores ornatissimi, haud ingrata sit, precor; illud vero ante omnia cupio, ut Facultatis nostræ Theologicæ alumnis prosit, et ut ipsi, dum præclare facta a Majoribus suos ante oculos habent, ad parem laudis æmulationem inflammentur.

Ex quo Summus Pontifex Eugenius IV annuisset, ut Lovanii cæteris etiam disciplinis adjungeretur institutio earum quæ sacræ et theologicæ dicuntur, tanto ardore in id studium Magistri incubuerunt, ut nulli Academiæ primas cederent in tractatione rerum divinarum. Brevi tempore adeo profecit schola theologica, ut esset in medio non solum Belgii sed totius Ecclesiæ sinu arx invicta fidei, portus et asylum veritatis, munitissimum veluti armamentarium unde parata semper et in religionis incude fa-

bricata arma promerentur ad debellandas hæreses, ad profliganda vitia, ad exstirpanda quælibet errorum commenta (2).

Lovaniensis Scholæ incunabula testantur, quam pio animo Theologi fuerint affecti erga Sedem Apostolicam, Academiæ altricem maxime providam. Scissionis enim tempore, quæ sub Eugenio IV et Nicolao V romanam vexavit cathedram, amoris et obsequii vinculis cum legitimo pontifice fuerunt conjunctissimi; noluerunt enim adhærere membris supremo Ecclesiæ capiti non hærentibus; pontificiam tutati sunt auctoritatem, quam Basileenses, universalem ecclesiam in se repræsentari contendentes, inverecunde depresserant (3).

Res nota et apud omnes pervulgata est, Lovanium Belgio sospitale fuisse, quum Lutheranæ hæresis contagio per integram fere Europam longe lateque grassaretur. Torrenti rapido, quo urbes, provinciæ, regna integra prosternebantur, Theologi Lovanienses in primis obsteterunt tamquam moles firmissima (4). De dogmatibus catholicis, quæ a novatoribus impugnabantur, evulgarunt scriptum, articulis duobus

et triginta distinctum, quo præcipua orthodoxæ fidei capita tam accurate proponuntur et confirmantur, ut præstruxisse videatur credendi regulam a Tridentina synodo deinde præscriptam (5). Exitiosos etiam libros, quibus novarum opinionum semina spargebantur, publicis edictis et indicibus proscripserunt, ne pravis lectionibus christiana pietas et fides labefactarentur (6). Sacros codices, quos græce, latine et vernacule ediderunt, ab hæreticorum adulteratione vindicarunt (7). Professoribus denique et civibus academicis suaserunt, ut jurejurando firmarent sese catholicam religionem integram et inviolatam servaturos (8). Hæc et alia ejus generis bene multa ad reipublicæ christianæ præsidium Doctorum Lovaniensium industria effecit.

Impiis Lutheri conatibus ab initio restitisse, magna quidem laus est et gloria; ea tamen non minor habenda, quod Angliæ rex Henricus VIII, quum varias Europæ Academias promissis et muneribus tentaret, ut suum cum Catharina Arragonensi divortium comprobaretur, solos Lovanienses Theologos sollicitare non fuerit ausus: desperabat enim de obtinenda ab illis sententia, quæ indomitæ faveret libidini (9).

Hac ætate præsens fidei periculum et lapsa Ecclesiæ disciplina magnam efflagitabant opem; indictum itaque est concilium generale, quo totius Ecclesiæ judicio contra novatorum errores confirmaretur antiqua veritas, et uberrimi malorum fontes — ignorantia et morum corruptela — obstruerentur. In hoc concilio, tanta cum rei christianæ utilitate Tridenti peracto, qua gratulatione, qua honoris significatione Lovanienses Theologi excepti fuerint; quæ auctoritas, quod pondus dictis eorum inesset, quum adstantibus Concilii Patribus sententiam aperirent suam, id hoc loco plene enarrare nequeo.

In hoc utique cœtu apparuerunt Ruardus Tapperus, decanus ad S. Petrum et Academiæ Cancellarius, ab ipsis Concilii Patribus honoratiori loco donatus; Joannes Leonardi Hasselius, Tridenti præmatura morte extinctus; Judocus Ravestyn, qui Kemnitii censuram adversus Tridentina decreta valida defensione profligavit. Quid præterea memorem Franciscum Sonnium, Johannem Waltheri, Michaelem Baium, Johannem Hesselium, Cornelium Jansenium? Horum virorum eruditio, pietas, fides, studiumque indefessum tuendæ veteris doctrinæ, perennem

Lovanio famam conciliarunt. Ipsis quoque annumerandus est Martinus Rythovius, qui una cum Sonnio et Ravestenio ab Imperatore Ferdinando I vocatus fuerat ad Colloquium Wormatiense (10), quique, ad Iprenses insulas evectus, mox e Belgio Tridentum discessit. Rythovii adventum Tridentinis gratissimum fuisse, palam testatus est Cardinalis Stanislaus Hosius, concilii præses. Iprensis ille episcopus in hoc Ecclesiæ cœtu amplissimo inter alia egregie disseruit, ne redderentur irrita matrimonia clandestina et filiorum conjugia sine consensu parentum inita. Ipsi quoque et Cornelio Jansenio, qui Gandavensem cathedram postmodum illustravit, cura demandata fuit, ut in ordinem pro decreto redigerent doctrinam de purgatorio (11).

Quæ saluberrime a Tridentinis Patribus decreta fuerant, ut in Belgio ab omnibus fideliter servarentur, doctorum Lovaniensium consilio et cura evenit (12).

Tapperus, quem antea laudabam, imperatoris Caroli V gratiam et familiaritatem non vana adulatione sed vitæ integritate sibi conciliaverat. Cæsarem monuit opportunum fore in Belgio

novos constituere episcopos, qui labanti Ecclesiæ et reipublicæ auxilium præberent; hæreses enim populum, novarum rerum cupidum et ad deteriora promptum, ad discordias et seditiones concitabant : inter sævam tempestatem, qua sæculo decimo sexto res sacra et civilis agitabatur, paucis episcopis minime datum erat populum numerosissimum ad sanctiorem disciplinam informare. Carolus, ab imperio discedens, Tapperi consilium filio suo Philippo regi commendavit. Eo imperante summi momenti negotium ad finem optatissimum perduxit Romam delegatus Franciscus Sonnius, quem Theologiæ doctorem, sacrarum Literarum professorem et Academiæ rectorem habuisse Lovanium gloriatur. Adeo verum est, statum hierarchicum, qui in Belgio per annos ducentos et quadraginta duos viguit, doctorum nostrorum sollicitudini in primis deberi (13).

Reipublicæ sacræ et civili parum profuisset novas episcoporum cathedras erigere, nisi reperti fuissent viri omni ex parte digni ut apostolica et regia auctoritate iisdem præficerentur, et ponerentur *ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis*

Christi (14). Semen virorum illorum, per quos salus fieret in Belgio, Academia nostra protulit, tanta quidem ubertate ut omnes totius provinciæ Mechliniensis primi episcopi ex ordine Theologorum Lovaniensium fuerint delecti (15).

At, ne quis dicat eorum sollicitudinem res duntaxat ecclesiasticas respexisse, paucis indicare cupio illos, quotiescumque daretur occasio, reipublicæ quoque bonum studiose et diligenter curasse.

Ad pacandam patriam, seditionibus dire exagitatam, ex Hispania infausto omine huc advenerat dux Albanus, vir militari laude quam clementia et cæteris animi dotibus præstantior. Ob animadversionis asperitatem et immodicas exactiones Belgarum odia in se concitaverat. In hoc rerum discrimine, ut publicæ calamitati remedium adferretur, forti et magno animo Ordo Theologorum consilium cepit, quod ejus commentariis inscriptum legitur : nimirum collegii hujus doctores per literas, ab omnibus subscriptas, de Albani administratione ad Philippum regem querelas detulerunt, ut gubernatorem non inutilem modo reipublicæ sed maxime

noxium de provincia depelleret. Literæ, regiæ majestati traditæ, quod petebatur, effecerunt: Albanus enim, in Hispaniam revocatus, paucis post mensibus hinc discessit, nimia severitate omnibus adeo invisus, ut comitia Brabantiæ et Flandriæ de rescindendis ejus actis, quemadmodum de Domitiano teterrimo principe a senatu romano factum est, serio deliberaverint (16).

Idem illud in rempublicam studium perspectum habemus ex Theologorum nostrorum sententia de concordiæ fœdere quod, quia Gandavi a comitiis generalibus provinciarum factum erat, *Pacificatio Gandavensis* dicitur. Hujus fœderis caput præcipuum erat, ut milites extranei e Belgio expellerentur, utque edicta adversus hæreticos lata cum Albani statuis et decretis criminalibus tollerentur. Novus Belgii gubernator Johannes Austriacus non prius fœdus illud jurejurando confirmare voluit, quam a Lovaniensium doctoribus fuisset declaratum, in eo nihil esse quod catholicæ ecclesiæ repugnaret (17).

Nostri etiam, legitimo suo principi usque fidelissimi, vana atque irrita esse declararunt ar-

gumenta, quibus postea fœdifragi suadere conabantur, Belgis licitum esse jurejurando fidem obstringere duci Alenconio, abjecta obedientia Hispaniarum regi debita (18).

His aliisque modis doctores Lovanienses pro munere, quod in Ecclesia Dei gerebant, utriusque reipublicæ commoda cordi habebant; idque suadebant quod ecclesiasticis sanctionibus, quieti publicæ et christianæ charitati congrueret, quemadmodum apud nostrates universa sæculi XVI historia testatur.

Lovaniensibus illa etiam laus debetur, nullum scilicet unquam exstitisse Theologorum collegium, quod plures aluerit viros, qui laude ingenii et doctrinæ copia præpollerent, antiquam morum integritatem toti spirarent, clerum ad scientiam et pietatem exemplo non minus quam præceptis informarent, invicta animi fortitudine sacrum avitæ doctrinæ pignus ac depositum tuerentur, et ob egregias animi dotes summis in Ecclesia honoribus insigniri meruerint (19).

Quas ob causas, Auditores Honoratissimi, censetis olim a Summis Pontificibus et Principibus

tot concessa fuisse privilegia non solum toti cœtui academico sed in primis Facultati Theologicæ (20)? Cur eam magnificis laudum præconiis exornarunt, et in gravissimis Ecclesiæ et Reipublicæ negotiis ipsius consilia exquisierunt? Tantum scilicet honoris et obsequii debitum Theologorum Lovaniensium doctrinæ et virtuti publice persolvebatur!

Lovaniensem Academiam, in qua tamquam gemma pretiosissima fulgebat Sacra Facultas, *constantem et firmam fidei catholicæ propugnatricem, Romanæ Ecclesiæ devotam ac fidelem filiam, agri dominici piissimam gloriosissimamque cultricem, labore assiduo in optimarum artium studiis juvandis inclytam,* Summi Pontifices continuo prædicarunt (21). Etenim quod inter horridam illam sæculi XVI tempestatem in Belgio conservata fuerit prisca fides, summumque virtutis et disciplinæ studium in clero continuo eluxerit, id acceptum referre debemus Facultati Theologicæ, quæ tot invictos errorum oppugnatores, tot integerrimos morum censores, totque eximios animarum pastores progenuit.

Equidem scio non deesse, qui sibi persuasum habeant, Theologorum nostrorum gloriam nonnihil inquinari, quod Lovanium (ut fertur) Jansenianæ hæresi incunabula præbuerit. At si rem penitus introspicere, eamque sine ira et studio expendere voluerimus, fateamur necesse est, unum aliumve theologum humana fragilitate peccasse, Theologicam vero Facultatem labem nullam contraxisse; certum enim indubitatumque est majorem ac saniorem ipsius partem strenue semper allaborasse ut invalescentes errores evellerentur et ab omnibus Sedis Apostolicæ judiciis plenum præstaretur obsequium.

Michael Baius, qui Tridentinæ Synodo interfuit, ex sancto Augustino, multum lecto sed parum feliciter intellecto, nova in lucem protulerat dogmata, ab Ecclesiæ mente aliena, quæ quidem graves animorum motus excitarunt, et deinde a Sede Apostolica condemnata fuerunt. Romani Pontificis judicium mox solemni ritu Lovanii publicatum fuit; omnes, quotquot erant, eidem summâ cum religione adhæserunt, illudque susceperunt, et Facultas Theologica talem doctrinæ formulam fieri jussit quæ cum solemni illo Apostolicæ Sedis judicio conveniret, simul-

que damnatis sententiis adversaretur (22). Ipsemet Baius, tantæ contentionis auctor, ad extremum usque spiritum non destitit exhibere reverentiæ et obsequii signa erga constitutiones apostolicas, quibus sua dogmata proscribebantur; adeo ut cardinalis de Lugo asserere non dubitaverit, *Pium V et Gregorium XIII nullam pertinaciam agnovisse in Baio, qui semper catholicus fuit et Ecclesiæ obediens* (23).

Aiunt nonnulli non eamdem fuisse ingenii docilitatem Jacobo Jansonio, Baii alumno præ cæteris carissimo (24). Huic discipulus obtigit Cornelius Jansenius Leerdamensis, qui Jansonium suum ut parentem venerabatur. Ab eo accepisse fertur prima doctrinæ semina, quæ progerminarunt in opere isto inauspicato quod post auctoris fata luctuosissimarum discordiarum feracissimum exstitit (25).

Non sinunt temporis augustiæ, ne leviter quidem a me attingi, quam graviter Ecclesiæ pax a Quesnelliana et Janseniana factione tunc perturbata fuerit. Quid mediam inter tempestatem illam egerit Facultas Theologica paucis exponam : iteratis declarationibus debitam Sedi

Apostolicæ reverentiam testata est; aberrantes a recto tramite in derelictam patrum viam reducere studuit; parum firmos salutari dextrâ sustinuit; pervicaces sinu suo ejecit (26). In hoc exulceratissimo rei theologicæ statu, apud nos floruerunt Guilielmus ab Angelis, Martinus Steyaert, Hermannus Damen, Martinus Harney, innumeri alii viri egregii, qui antiquam Ecclesiæ doctrinam contra novitates quascumque propugnarunt, et pro Sedis Apostolicæ auctoritatē et dignitate tamquam muri ahenei steterunt (27).

Sub idem fere tempus Theologi Lovanienses ad Petri Sedem querelas detulerunt de laxioris ethicæ doctrina, quæ per Belgium serpebat. Legati, Romam missi, arduum negotium eo successu gesserunt, ut ab Innocentio XI decretum latum fuerit contra propositiones in quibus plurimum offensionis inesset (28). Hac etiam occasione infallibili Sedis Apostolicæ judicio ponderanda fuit exhibita scholæ Lovaniensis doctrina de divinæ gratiæ decretis et auxiliis, una cum doctrinæ illius justificatione expressa in opusculo quod *Censura* dicitur : quippe Theologi nostri in suspicionem vocati fuerant

quasi damnata aut damnanda dogmata traderent. Post expensam diu multumque doctrinam, Lovaniensium legati ab illustrissimo S. Officii Assessore responsum acceperunt, nihil in ea S. Congregationem aut Summum Pontificem improbasse (29).

Ætate a nobis minus remota idem orthodoxiæ studium continuo eluxit. Novitates e Germaniæ oris huc invectas, imperante Josepho II, Theologi nostri oppugnarunt; immo Cæsarem ipsum obtestati sunt, illas fore ad perniciem religionis et publicæ tranquillitatis (30). Tum vero collegii theologici magistri, qui Deo potius quam hominibus obedire statuerant, maximam partem loco et cathedra deturbati sunt, et institutio rerum theologicarum a potestatè laïca demandata fuit novis seu potius intrusis Seminarii generalis professoribus. Brevi corruit gymnasium illud; peregrinam in eo traditam doctrinam, hactenus in Belgio inauditam, Cardinalis Archiepiscopus Mechliniensis damnavit solemni declaratione, quam doctores Lovanienses, suis tandem cathedris restituti, continere pronunciarunt avitam Scholæ suæ doctrinam, a qua novelli istius Seminarii generalis professores perperam recesserant (31).

Non diu stetit spes illa rerum tranquilliorum, quæ exeunte sæculo decimo octavo affulgere videbatur; publica enim rerum in Gallia eversio exitium comminabatur Belgio. Quum plures suaderent, ut Academia aquiesceret Gallorum decretis, et connivendo rem servaret suam, Theologorum nostrorum una omnium vox erat : « Si perseverent et progrediantur patriæ cala-
» mitates, aut pereundum erit, aut quibusvis
» iniquitatibus, primam prævaricationem secu-
» turis, turpiter obsecundandum. Et, ubi sano-
» rum semel principiorum limites transgressi,
» in hac perversâ connivendi viâ pedem tremen-
» tes tulimus, ubi hærebimus, et in quæ dede-
» cora non deferemur? Si itaque pereundum
» est, pereamus stantes pro sancta fide nostra,
» pro moribus antiquis, probis, christianis. Hæc
» posthuma etiam gloria Universitatis tumulum
» ornet, non suâ ignaviâ, sed suorum fideique
» hostium ictibus ruptam non flexam conci-
» disse. » — Hæc aiebant illi; hoc erigebatur, paulo ante Academiæ direptionem, virtutis monumentum ære perennius (32).

Cogitanti mihi sæpius, quæ causa fuerit, cur Lovaniensium schola theologica per quatuor fere

sæcula, a primo suo exordio usque ad ipsam Academiæ dispersionem, fide et doctrinâ integerrimâ floruerit, hoc tribuendum esse visum est tum reverentiæ et obsequio quibus Sedem Apostolicam prosequebatur, tum tractandarum rerum theologicarum methodo quam ab initio est secuta.

Antiqua enim et perpetua Theologorum nostrorum doctrina fuit, Petrum ejusque successores esse fidei columnam et Ecclesiæ fundamentum; Petrum in romana cathedra semper locuturum; fidem romanam semper futuram Ecclesiæ fidem; integram christianæ religionis doctrinam tunc teneri, quando cum Sede Apostolica communio habetur, neque ullum esse discrimen inter eos qui Ecclesiæ Catholicæ communione careant, et eos qui in omnibus non consentiant Sedi Apostolicæ (33). Ex quo in vulgus exierat infausta Cleri Gallicani declaratio anni MDCLXXXII, provide Theologi Lovanienses decreverant, neminem in posterum in collegium Regentum, quod *strictum collegium* dicebatur, assumptum iri, nisi qui prius serio se obstrinxisset, se traditurum ac propugnaturum priscam scholæ suæ doctrinam, quæ Ro-

manum Pontificem falli nescium et concilio œcumenico superiorem declarat (34).

Quod modum atque ordinem in tractandis rebus theologicis attinet, rescindebant curiosas et parum utiles quæstiones; eas autem, de quibus cum hæreticis et fidei hostibus controversia esset, dilucidius explicabant; fidem firmare studebant non tam argumentis ex philosophia depromptis, quam Sacris Scripturis et sanctorum Patrum testimoniis atque deductis inde rationibus. Ea utebantur in tradendis disciplinis theologicis methodo, ne, dum sæpius philosophia (quæ in divinis ancillari debet) adhibetur, minus fidei (cujus est intellectum regere) tribuatur, ac demum in perniciosos ruatur errores. Hoc cordi habebant, hoc negotium ducebant suum, ad hoc se institutos meminerant ut fidem avitam diligenter tuerentur. Non sinebant se circumferri insano variarum doctrinarum vento: in fide stabiles omnia Scripturæ Sacræ et traditionis trutina ponderabant; profanas quasque novitates respuebant; sacra venerandæ antiquitatis anchora nitebantur, frementibus nequicquam humanarum cupiditatum et opinionum procellis (35).

Hæc atque alia, Auditores Honoratissimi, doctrinæ et virtutis exempla Majores nostri reliquerunt; hac illi ratione doctoris catholici dignitatem et officia intellexerunt.

Vos vero, Candidati eruditissimi, quos mox ad dignitatem doctoralem promovebo et promotos esse renunciabo, Vos, spes nostra, decus et gloria, eamdem Patrum nostrorum viam sequimini! Domestica illa exempla hæreant alte mentibus vestris infixa; huc omne principium, huc exitum referri oportere cogitate. Toto animo et pectore precor, ut studia vestra et actiones omnes per integrum vitæ cursum veri doctoris catholici imaginem referant, et gravissimi muneris officia cohonestare non desinant. In omnibus, ut cum divo Paulo loquamur (36), vosmetipsos præbete exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut, qui ex adverso sunt, vereantur, nihil mali habentes dicere de vobis. Id itaque agitote, ut a vobis palam ostendatur, merito vos ab Alma Matre Lovaniensi laurea doctorali fuisse donatos.

Te Deum Optimum Maximum precamur ut hæc

vota rata et firma esse velis. Benedic virtute tua renascentis scholæ germina! — Benedic virtute tua ex alto Eminentissimum Belgii Primatem, tot tantisque pro Ecclesia tua susceptis laboribus inclytum! — Benedic virtute tua ex alto Excellentissimum Sedis Apostolicæ Nuncium Archiepiscopum Ephesinum, qui natalium splendorem et egregios ingenii animique dotes Tibi soli sacros esse voluit! — Benedic virtute tua ex alto Præsulem Gandavensem illustrissimum, cæterosque Belgii Episcopos, de re catholica eximie meritos! Te denique iterum atque iterum precamur, ut Dominæ ac Patronæ nostræ Virginis Mariæ prece potentissima exoratus, congregatam Academiam continuo restaures, et restauratam conserves, ut quotidie magis magisque ad Religionis et Patriæ decus floreat, atque adeo annis confirmetur, tempore dilatetur, ætate sublimetur!

ANNOTATIO

ANNOTATIO

NOT. 1, pag. 1.

Oratio de Doctoris Catholici dignitate et officio, quam die secunda mensis Augusti MDCCCXLI habuit Petrus Franc. Xav. de Ram, Rector Universitatis Catholicæ in Oppido Lovaniensi, quum Virum Eruditissimum Augustum Kempeneers, ex Montenaken, diœcesis Leodiensis Presbyterum Sacrorum Canonum Doctorem more Majorum renunciaret; Lovanii 1841, pag. 56 in-8. Denuo recusa exstat in collectione quæ inscribitur : *Documents relatifs à l'érection et à l'organisation de l'Université catholique de Louvain ;* Bruxelles 1844 in-8, p. 138, et in altera collectione eodem anno Bruxellis edita : *Etat de l'instruction supérieure en Belgique ; Rapport présenté aux Chambres législatives le 6 Avril 1843 par M. Nothomb, ministre de l'Intérieur ;* t. II p. 2042.

NOT. 2, pag. 3.

Academiam Lovaniensem instituit Martinus V, diplomate dato die 9 mensis Decembris 1425, Joannis IV, Brabantiæ ducis, ac magistratus, cleri, populique Lovaniensis precibus indulgens. Eugenius IV, diplomate dato an. 1431 die 7 mensis Martii, quæ D. Thomæ Aquinati Angelico Doctori et scholarum theologicarum patrono sacra est, Facultatem theologicam instauravit. Leguntur illa diplomata in collectione quæ inscribitur : *Privilegia Academiæ Lovaniensi per Summos Pon-*

tifices et supremos Belgii principes concessa, p. 1 et 38 edit. an. 1728 in-4°.

Valerius Andreas, scriptor alioquin diligentissimus, graviter errat, dum in *Fastis Academicis* p. 75 dicit Eugenium IV ad erigendam Facultatem theologicam movisse preces assiduæ Erardi Cardinalis a Marca, episcopi et principis Leodiensis, in cujus diœcesi tunc erat Lovanium; ille enim anno dumtaxat 1506 episcopatum Leodiensem obtinuit et anno 1538 vita functus est. An Joannes Heinsbergius, qui Leodiensis episcopus electus fuit anno 1419, et episcopatum resignavit circa annum 1455, ad Academiæ erectionem vel Facultatis theologicæ constitutionem aliquid contulerit, minime constat.

Inter legatos, a Philippo Bono, Burgundiæ et Brabantiæ duce, et ab Academia hujus rei impetrandæ causa ad Eugenium IV Romam missos, præcipuus erat Henricus de Mera, vulgo *Van der Meeren*, Herentalensis, Decretorum doctor et professor, Canonicus cathedralis ecclesiæ Leodiensis, ab anno 1433 decanus ecclesiæ collegiatæ D. Petri Lovaniensis, defunctus anno 1440.

Quid Academiæ conditorem Martinum V moverit, ut ab Academia Lovaniensi abesse voluerit traditionem disciplinarum theologicarum, non plane constat. Valerius Andreas (*op. cit. p.* 75) cum Justo Lipsio arbitratur, Pontificem fortasse censuisse non oportere, ultra quam satis est, vulgare et spargere doctrinas theologicas, vel latiorem aperire campum disputationibus de rebus theologicis, eo præsertim tempore quo Ecclesia ex diuturno erepta schismate vix quiescere ceperat, grassantesque Wiclefi, Joannis Hussi et Hieronymi Pragensis errores novas continuo tempestates prænunciarent. Contra Abraham Bzovius (*Annalium eccl. tom. XV*) dicit Martinum V Theologiam ab universali studio exceptam voluisse, ut tanto vehementius desiderium illius docendæ ingeneraret, non ignarus Pontifex vehementiorem esse cupidinem alicujus præcellentis doctrinæ negatæ, et ex cupiditate

majorem conatum tentandi oriri, a tentamento autem ardentiore perfectiorem virtutem concipiendæ consequendæque artis.

Huc referri possunt quæ leguntur in expostulatione Concilii Flandriæ, Cæsari facta die 17 novembris 1786 contra erectionem Seminarii generalis : « Lorsqu'en 1425, le pape Martin V, à la demande du duc de Brabant, institua l'Université de Louvain, le grand schisme de l'Occident touchait à sa fin, la paix de l'Église était sur le point de renaître : c'est pourquoi le Saint-Père ne voulant pas donner de sujet de mécontentement aux évêques, n'octroya que les facultés des Arts, des Droits canonique et civil, et de la Medécine, et refusa d'octroyer la faculté de Théologie, quoiqu'elle fût demandée également. Quelques années après, le Saint-Père étant mort, Eugène IV, son successeur, redoutant le concile de Bâle... institua à la demande du duc de Brabant et de la ville de Louvain, la faculté de Théologie, vraisemblablement pour se préparer un appui dans l'Université de Louvain qui figurait déjà avec éclat en Europe. Il ne fut pas déçu dans ses espérances ; la faculté de Théologie le soutint fortement dans ses querelles avec les Pères du concile de Bâle. Cette même faculté ne contribua pas peu dans la suite à empêcher dans ces provinces la réception de la Pragmatique-Sanction de Charles VII, roi de France, rédigée d'après les décrets du concile. » — Vid. *Synodicon Belg.* tom. IV p. 475.

Nascentis scholæ theologicæ dignitatem primum sustinuerunt *Nicolaus de Midy* et *Antonius de Recaneto*, doctores Sorbonici, atque *Joannes a Wyninghem*, *Heimericus de Campo* et *Godefridus de Loe*, doctores Colonienses. Hisce paulo post accesserunt, Lovanii doctorali laureâ insigniti *Andreas de Capella*, *Henricus de Bocholdia*, *Petrus Wellens*, *Joannes de Oosterhout* et *Joannes Varenacker*. Cfr. Valerii Andreæ op. cit. p. 82 et 87, et Nicolai Vernulæi *Academia Lovaniensis*, p. 41.

NOT. 3, P. 3.

Ad Basileense concilium legitime inchoatum Academia Lovaniensis anno 1433 tres legatos misit : *Nicolaum de Midy* S. Theologiæ professorem, *Henricum Retheri* Legum Doctorem et Professorem, et *Joannem Flamengi* juris utriusque Baccalaureum; illis anno 1434 quartum adjunxit *Henricum Scatter* Artium et Medecinæ Doctorem ac Chorepiscopum et Decanum ecclesiæ cathedralis Leodiensis. Ubi vero hoc concilium sibi supra Romanum Pontificem Eugenium IV indebitam auctoritatem arrogaverat, et conciliabulum ac latrocinium evaserat, mox Academia Lovaniensis legatos suos revocavit, aliosque a Basileensibus sæpe expetitos denuo mittere noluit. Bullam Eugenii IV ad Universitatem missam nostri summa cum reverentia susceperunt an. 1437 die 31 mensis decembris, gratiasque Pontifici egerunt, quod non modicam Universitati benevolentiam præstaret. Idem Pontifex Lovanienses a schismaticis Basileensibus prorsus alienos anno 1443 pluribus exornavit privilegiis, quorum diplomata exstant in codice Privilegiorum p. 40-57. Anno insuper 1448 die 5 mensis julii, quum *Henricus Caltyser* Magister Palatii apostolici nomine Nicolai V Lovanium venisset, Universitas per Heimericum de Campo Rectorem Magnificum declaravit, « Se suscipere benevole doctrinam quam sua Sanctitas pro-
» posuit circa modum intelligendi indulgentias apostolicas,
» in forma plenaria peccatorum remissionis concedi solitas;
» quodque se semper concorditer habuit, habet et deinceps
» inviolabiliter habere proponit circa obedientiam Sedis
» Apostolicæ respectu D. Nicolai Papæ ejusque prædecessoris
» Eugenii IV firmitatem, nullâ oppositâ contradicentium sibi
» alias a Concilio Basileensi solemniter missorum persuasione
» averti possibilem, et ita invincibiliter per sua scripta et
» opportuna dicta ac sana dogmata constanter defensam et
» defendendam. »

Conscripserat Heimericus de Campo tractatum *de Auctoritate concilii* et *Apologiam cur recesserit a Concilio Basileensi et Eugenio IV Papæ adhæserit.* Cfr. Valerii Andræ *op. cit. p.* 334, et Paquot, *Mém. litt. tom. V, p.* 137. In bibliotheca Monasterii Corsendoncani olim servabatur ejusdem Heimerici de Campo opusculum MS., quod inscribebatur *Determinatio de Indulgentiis*, quodque eam procul dubio spectabat quæstionem, cujus supra Heimericus meminit. In Burgundia enim et Brabantia novi errores de indulgentiis, de peccatorum remissione, deque Ecclesiæ clavibus exorti erant. Hæc quum intellexisset Nicolaus V, ad hujusmodi errores tollendos ac de iis inquirendum, negotium Joanni Cabilonensi et Antonio Sidonensi episcopis commisit per apostolicas literas die 1 mensis junii an. 1448 datas, ut refert Dominicus Georgius in *Vita Nicolai V Pont. Max. ad fidem veterum monumentorum conscripta, Romæ an.* 1742, in-4, p. 55.

Auctor *defensionis Declarationis Cleri Gallicani an.* 1682 in dissertatione prævia n. 27-36, et in appendice ad defensionem lib. I cap. 11-18 (*OEuvres de Bossuet, tom. XXXI, p.* 78-86, *et tom. XXXIII p.* 485-520) frustra probare nititur facultatem Theologicam Lovaniensem, cujus eximium splendorem ac famam commendat, jam inde ab initio suæ fundationis cum Parisiensi et Coloniensi consensisse circa Constantiensem et Basileensem doctrinam de auctoritate Conciliorum generalium supra Romanum Pontificem.

NOT. 4, pag. 3.

Cfr. nostra *Disquisitio historica de iis quæ contra Lutherum Lovanienses Theologi egerunt anno MDXIX;* Bruxellis in-4°; et *Nouveaux Mémoires de l'Académie royale de Belgique*, tom. XVI.

NOT. 5, pag. 4.

Cfr. nostra *Disquisitio de dogmatica declaratione a Theologis Lovaniensibus anno MDXLIV editâ;* ibid. in-4°; et *Nouveaux Mémoires de l'Académie royale de Belgique,* t. XIV.

NOT. 6, pag. 4.

Circa medium sæculum decimum sextum, quum invalescentibus lutheranâ et calvinianâ hæresibus libri plurimi artis typographicæ ocius propagatæ industriâ vulgarentur, qui mentito plerumque auctoris nomine ita errores occultabant, ut facile non esset eos a Catholicorum libris secernere, eorumque incauta lectio non paucos decipere ac seducere posset, communi Orthodoxorum voto catalogus sive Index librorum, quorum lectio perniciosa foret, optabatur. Et quidem an. 1540 die 22 mensis februarii Universitas Lovaniensis edicto publico prohibuit quosdam libros, quos hæresim sapere et fidei catholicæ contradicere deprehensum erat. Eodem edicto mandatur Academiæ subditis ut ab emptione, venditione, editione et lectione ejusmodi librorum abstineant, illosque a se rejiciant, destruant et comburant, sub pœnis edicto statutis vel aliis arbitrariis. Cfr. *Edicta flandriæ tom. I, lib. I, rubr.* 7, *p.* 152 et *Val. Andreæ fasti Acad. p.* 360. Deinde anno 1546 die 15 mensis augusti, rogatu et mandato Caroli V, facultas Theologica indicem librorum hæreticorum et de hæresi suspectorum, quorum lectionem *pro eo saltem tempore* (ut loquitur) *populo haud convenire* judicabat, confecit, qui auctoritate cæsareâ eodem anno publicatus fuit, et refertur una cum Imperatoris edicto *Edict. flandr. tom. I, lib. I, rubr.* 7, *p.* 143. Ille autem librorum prohibitorum catalogus primus censetur, qui publicâ auctoritate sit editus.

Sed quum plures quotidie prodirent hæreticâ labe con-

spersi libri, mox alium fusiorem indicem eadem Sacra facultas concinnavit. Articulo primo edicti, quod die 19 mensis aprilis an. 1550 Bruxellis a Carolo V datum est, et refertur *Edict. flandr. tom. I, lib. I, rubr.* 7, *p.* 157, hoc statuitur : « Nemo cujuscumque conditionis aut statûs poterit imprimere, » scribere, exscribere, transcribere, nec secum habere, » acceptare, ferre, custodire, abscondere, retinere, vendere, emere, dare, distribuere, vel sinere ut cadant in » templis, plateis aut aliis locis, aliquos libros aut scripta » confecta per Martinum Lutherum, Joannem Æcolampadium, Ulricum Zuinglium, Martinum Bucerum, Joannem » Calvinum, vel alios hæreticos et auctores sectarum... reprobatarum per Sanctam Ecclesiam, vel confecta per ipsorum asseclas, fautores et complices aberrantes a rectâ » fide, specificata in Catalogo DD. Lovaniensium subjuncto : » nec etiam aliquos alios libros, qui a viginti annis citra conscripti aut excusi fuerunt, aut imposterum edentur sine » expressione auctoris, typographi, anni aut loci. » Subjungitur huic edicto Catalogus librorum prohibitorum, confectus per Rectorem et facultatem Theologicam Lovaniensem, cum Catalogo librorum qui in scholis doceri poterunt, signatus Lovanii die 26 mensis martii an. 1550. Prodiit autem vernacule hoc titulo : *Die catalogen van den quaden verboden boucken, ende van andere goede, die men den jonghen scholieren leeren mach, na advys der Universiteyt van Loven. Geprint te Loeven*, 1550 in-4°. Anno 1558 idem catalogus ibidem gallice fuit recusus.

Quum istiusmodi indices non essent summæ auctoritatis, quæ omnes ubique fideles obligaret, et in iis etiam libri ab hæreticis italica lingua editi desiderarentur, Paulus IV, forsitan Lovaniensium Theologorum exemplo excitatus, anno 1557 primus e Romanis Pontificibus mandavit, iis qui romanæ inquisitioni contra hæreticam pravitatem præsunt, ut indicem librorum prohibitorum conficerent, qui eodem anno

absolutus pontificia auctoritate publicatus fuit. Quid vero deinceps actum fuerit a Summis Pontificibus ut fideles averterent a lectione librorum, qui vel morum integritati vel catholicæ religionis dogmatibus adversantur, quæque post inventam artem typographicam stabilita fuerit a Sede Apostolica disciplina circa examen et proscriptionem librorum, exponunt Jac. Gretserus S. J. in opere *De jure et more prohibendi, expurgandi et abolendi libros hæreticos et noxios; Ingolstadii* 1603, et Franc. Ant. Zaccaria S. J. in opere quod inscribitur: *Storia polemica delle proibizioni de Libri; Romæ* 1777, in-4°. Cfr. Lucii Ferraris *Bibl. canonica, art. Libri prohibiti, tom. IV, p.* 396, *edit. Romæ* 1769 in-fol.

In Belgio nostro sub duce Albano, qui perniciosorum librorum prohibitionem et correctionem curæ habuit, tres præterea indices evulgati fuerunt, quos temporis ordine recensent Ex. D. Van de Velde *Synopsis Monum. tom. III p.* 1118 et Dierxcens *Antverpia Christo nascens et crescens*, *tom. V*, *p.* 114.

Theologorum Lovaniensium studio confectus videtur primus *Librorum prohibitorum Index ex mandato Regiæ Catholicæ Majestatis, et Illustrissimi Ducis Albani, Consiliique regii decreto confectus et editus*, Antverpiæ 1569 ex officina Christophori Plantini in-12°; nam in Actis facultatis anni 1569, decano Judoco Ravesteyn Tiletano, legitur « Ducem Albanum » die 18 maii per literas requisivisse Facultatem, ut ex Indice » Apostolico (seu Tridentino) a Pio IV die 24 maii an. 1564 » comprobato, et ex alio quondam Antverpiæ (an. 1546) ex- » cuso, simul cum Indice facultatis (anno 1550 recuso) » recognitis et diligenter examinatis, fieret novus index li- » brorum prohibendorum. » Viglius in epistola die 31 decembris an. 1567 ad Joachimum Hopperum scripta hæc dicit: « Mitto ad te reproborum atque hic prohibitorum librorum » Catalogum, quem desiderabas; junxique literarum exem- » plar, quas D. Tyletanus (*Judocus Ravesteyn*) ad me rescri-

» psit, una cum iis quas ego eadem de re ad eum dederam.
» Cum Dux autem noster (*Albanus*) reformationem multorum
» abusuum hic moliatur, forte et ipse contra Bibliopolarum
» Typographorumque quorumdam dolos remedium aliquod
» adhibebit.» Ex. D. Van de Velde in *Synopsi Monum. tom. III p.* 1019, et Hoynck Van Papendrecht in *Analectis Belg. tom. I, part.* 2, *p.* 432 putant Catalogum illum, a Viglio in Hispaniam ad Hopperum missum, esse Indicem, quem Doctores Lovanienses Albani mandato collegerunt Quod tamen fieri non potuisse plane constat; nam Viglii epistola die ultima decembris anni 1567 scripta fuit, Albanus vero novi indicis colligendi negotium Lovaniensibus commisit mense maio anni 1569, quo ad finem vergente Index ille vulgatus est typis Plantinianis. Equidem arbitror Viglium Hoppero misisse vel fusiorem Lovaniensium Catalogum anno 1550 editum, cujus supra facta est mentio, vel quasdam Lovaniensium additiones ad Indicem Tridentinum, nam (ut in Actis ad an. 1566 notatur) Margareta Parmensis a facultate Theologica petierat, ut novum indicem librorum prohibitorum conderet; hæc vero Gubernatrici remisit eique commendavit indicem Tridentinum nonnullis additionibus locupletatum.

Anno 1570 Philippus II rex Hispaniarum statuit in Belgio publicare Indicem Tridentinum; sed quum in his regionibus plures perniciosi libri essent editi, qui Tridentino Concilio non innotuerant, aut in lucem eo tempore nondum prodierant, curavit ut Indici adjiceretur appendix librorum, quos Episcopi, Prælati et Doctores censura dignos existimaverant. Evulgatus est Index ille typis Plantinianis in-8 cum præfixo diplomate regio dato die 15 mensis februarii an. 1570. Vi hujus decreti intra tres menses comburi debebant libri per Indicem Tridentinum eique adjunctum Appendicem reprobati; intra tres etiam menses alii libri, qui corrigendi erant et purgandi, deferri debebant in manus Magistratus loci, qui ducem Albanum ea de re certiorem redderent, ut ab eo personis idoneis et qualificatis eorumdem expurgatio committeretur.

Ut expurgatio librorum juxta decreta Tridentina rite perficeretur, Albanus sub auctoritate regis et communicato eum regiis senatoribus consilio, literas dedit ad Episcopos, Universitatem Lovaniensem et Duacenam, aliosque viros doctos, quatenus ad se transmitterent quæ expurganda judicarent. Ad hoc porro negotium spectant sequentia, quæ in Actis facultatis Theologicæ Lovaniensis annotantur :

« Die 31 martii 1570 (Decano Roberto Malcotio) congregata » est facultas ad requisitionem M. D. Rectoris, ad designan- » dum locum, in quem deferrentur libri juxta Catalogum » Tridentinum cum Appendice jussu ducis Albani adjecto, » repurgandi. Et designatus est locus in collegio Sabaudiæ, in » quem deferrentur libri ab iis, qui ad nostram facultatem » spectant. Nam et aliæ facultates singulæ locum peculia- » rem erant designaturæ. Eximius M. N. Thomas Gozeus, dicti » collegii Sabaudiæ Præsidens, adjuncto sibi, loco notarii, » nostræ facultatis Bedello, constitutus est, ut dictos libros » recipiat.

» Die 5 maii D. Morillonius generalis Vicarius Archiepi- » scopi Mechlin. convocavit facultatem, et exhibuit literas » D. Ducis Albani Gubernatoris nostri, injungentis ut secun- » dum requisitionem dicti D. Vicarii præstaremus operam » nostram in repurgandis libris, secundum præscriptum Ca- » talogi Tridentini et Appendicis, auctoritate Regiæ Maje- » statis recenter editorum. Et suscepit facultas expurgandas » annotationes Erasmi in Irenæum, Hieronymum et Augu- » stinum.

» Die 30 augusti, Dux Albanus scripsit ad facultatem pro » correctione operum D. Hieronymi, Augustini et aliorum; » petitque ut ei scribantur nomina et cognomina, item gradus » eorum qui in hujusmodi negotio laboraverunt.

» Repurgationes adnotationum, censurarum, indicum et » commentariorum, editorum a diversis, in opera DD. Irenæi, » Hieronymi et Augustini, per Magistros facultatis collectæ,

» fuerunt examinatæ et in diversis plenariis congregationibus
» dictæ facultatis relectæ. Repurgationes quoque omnium
» operum Desiderii Erasmi, item *Consilii Francisci Zaba-*
» *rellæ quid agendum sit in quæstione duorum Pontificum*
» *de papatu contendentium etc.*, facultati commissæ, et in-fol.
» 77 descriptæ, a plena facultate approbatæ fuerunt, et ad
» curiam transmissæ, 17 die novembris an. 1570. »

Censorum collegia, per singulas diœceses et civitates instituta, post novem fere mensium spatium, id est, a februario ad novembrem an. 1570, examen perfecerunt, notasque suas transmiserunt ad præcipuum censorum collegium, quod Antverpiæ institutum fuerat. Præsidebat huic collegio ecclesiastica auctoritate quidam Episcopus, quem Sonnium fuisse arbitramur; regio autem nomine aderat Benedictus Arias Montanus, cui debetur celeberrima SS. Bibliorum editio Polyglotta.

Censorum Antverpiensium studio tandem prodiit typis Plantinianis *Index expurgatorius librorum qui hoc sæculo prodierunt, juxta Sacri Concilii Trident. decretum, Philippi II Regis jussu et auctoritate, atque Albani ducis consilio ac ministerio in Belgio concinnatus anno* 1571, in-4° pag. 104 absque præliminaribus et indice. Excusus est Index ille sumptibus regiis, non ut vulgaretur, sed ut distribueretur Censoribus per Episcopos constitutis, qui libros corrigerent, antequam lectio aut venditio permitteretur; inde tanta hujus libri raritas, de qua vid. Joh. Vogt in *Catal. libr. rariorum* p. 366.

Indici expurgatorio præfixum est regium diploma signatum die ultima julii an. 1571, quod refert Dierxsens *Antver. Christo nasc. et cresc. tom. V, p.* 155. Præfationem Indici præmissam die 1 mensis junii signavit Benedictus Arias Montanus; in ea monet non omnes libros, qui corrigi et expurgari poterant, hoc indice comprehendi, sed eos tantum, quorum usum lectoribus frequentiorem, expectationem molestiorem,

expeditionem vero graviorem fore Censores arbitrabantur. Complectitur autem Index nonaginta sex auctorum opera expurganda. Exstant Theologorum Lovaniensium censuræ ad *Annotationes Erasmi in S. Augustinum* p. 1 Indicis, *in S. Hieronymum* p. 14, *in S. Irenæum* p. 26; eorumdem repurgationes *Operum Erasmi* p. 82-104, et *Consilii Francisci Zabarellæ* p. 43.

Post editum Indicem expurgatorium subinde ab Aula ad facultatem Theologicam Lov. mittebantur examinandi varii libri sive impressi sive imprimendi, de quibus Doctorum judicium petebatur. Præterea in Actis an. 1587 notatur, die 21 mensis decembris lectum fuisse Breve apostolicum Sixti V ad facultatem Theologicam, deposcentis ejus opem in restituendo et augendo Indice librorum prohibitorum, in quo negotio Cardinales aliquot primarii Romæ occupabantur; facultatem vero, ut Pontificis voto satisfieret, e suo ordine huic negotio præfecisse Henricum Gravium, Joannem Clarium et Henricum Cuyckium, iisque ut aliquem e suis adjungeret a reliquis facultatibus impetrasse, scilicet e facultate canonica Nicolaum Goblet, e facultate juris civilis Ludovicum Carrion, e facultate medica Joannem Walteri Viringum, denique e facultate Artium Licentiatum Fraxinensem. Quid eorum opera peractum fuerit, compertum non habemus.

NOT. 7, pag. 4.

Ad typis edenda Antverpiæ Biblia polyglotta operam contulerunt, ut constat ex variis Ariæ Montani ad professores Lovanienses literis, quarum autographa nactus sum. De variis Sacrorum Librorum editionibus, versionibus et elucidationibus, quæ Lovaniensium cura prodierunt, optarem ut disquisitionem institueret harum rerum judex doctissimus J. T. Beelen, SS. Litt. et Lingg. Orient. professor ord.

NOT. 8, pag. 4.

Ab origine Universitatis tria, ut apparet, emittenda erant juramenta ab iis, qui vel in ipsam Universitatem adscriberentur vel gradibus academicis ornarentur. Antiquissimi Codices MSS. Statutorum referunt sequentem formam Juramenti præstandi ab iis qui inscribendi essent matriculæ Universitatis:

« *Primo, juro quod observabo jura, privilegia, libertates,* » *statuta, ordinationes et consuetudines laudabiles Universi-* » *tatis studii Lovaniensis ad quemcumque statum devenero;* » *neque laborabo scienter in aliquo, quod in præjudicium co-* » *rumdem posset redundare.*

» *Secundo, quod observabo pacem, tranquillitatem et con-* » *cordiam dicti studii in se, suis facultatibus et membris,* » *sub regimine et obedientia unius Rectoris.*

» *Tertio, quod Universitati et ejus Rectori pro tempore* » *existenti in licitis et honestis parebo, ac debitum honorem* » *illi impendam.* »

Anno 1537 die 28 mensis februarii in primo juramento, decreto academico, levis quædam mutatio facta est; nam loco *ad quemcumque statum devenero,* qua generali notione nobiles aliique nonnulli, quorum privilegiis academica privilegia detrimentum adferre visa sunt, a præstando juramento arcebantur, positum fuit *ad quemcumque statum* IN UNIVERSITATE *devenero.*

Anno 1544 die 10 mensis septembris editum fuit ab Universitate edictum pœnale, initio cujusque novi rectoratus publicandum, quo Academiæ subditi, ut eorum conditio, vita ac religio Rectori innotescat, jubentur nomina sua scripto exhibere, sub pœna suspensionis ab usu privilegiorum. Fuit istud edictum per Promotorem Universitatis exhibitum Cancellario Brabantiæ, et regia auctoritate confirmatum, prout habetur in Actis deputatorum ad diem 28 octobris an. 1544.

Tribus prioribus quartum juramentum accessit die 24 men-

sis octobris an. 1545. In edicto, quo illud præscribitur, hæc leguntur : « Ut obvietur peregrinis istis et adulterinis hæreti-
» corum hujus sæculi doctrinis, atque ad illorum declinanda
» consortia, quibus nisi provide occurratur, incauta juventus
» nostra facile posset damnatis istis hæresibus imbui et cor-
» rumpi; idcirco statuimus et ordinamus, quod omnes et
» singuli ad matriculam hujus Universitatis recipiendi, et
» prinsquam eidem inscribi possint ac ad usum privilegiorum
» admitti, præstent juramentum hujusmodi : *Item juro me ex*
» *animo detestari universa dogmata Martini Lutheri et alio-*
» *rum quorumlibet hæreticorum, quatenus doctrinis veteris*
» *et Catholicæ ac Romanæ Ecclesiæ adversantur; et sequi*
» *velle ac retinere fidem veterem prætactæ Ecclesiæ, sub obe-*
» *dientia unius summi Pastoris Romani Pontificis.* » Idem sancitum est anno 1557; cui sanctioni, inquit Vernulæus *Acad. Lov. p.* 195, quum obtemperare Germani magno tum in Academia numero non vellent, et frustra preces suas Sabaudiæ duci, Belgii ea ætate gubernatori, obtulissent, maluit Academia, ut urbe cederent, quam ut parum certo animo catholicos fovere videretur.

Hoc juramentum Pius IV Brevi apostolico de die 5 februarii an. 1561 confirmavit, quod descripsit Valerius Andreas *Fast. Acad. p.* 362. Huc spectant ea quæ in registro antiquo leguntur : « XI^a aprilis in Congregatione Universitatis proposuit
» M. D. Rector, quod hesterna die... D. et M. Maximilianus
» Morillonius, Præpositus Ariensis, exhibuit sibi quoddam
» Breve apostolicum clausum, Rectori et Universitati direc-
» tum, quod tunc de assensu dominorum apertum et lectum
» fuit. Tradidit etiam idem D. Morillonius literas credentiæ
» R^mi D. Cardinalis Atrebatensis (*Granvellani*), et declaravit,
» quod idem R^mus D. Cardinalis habet curam istius Brevis
» Apostolici... Lecto igitur Brevi apostolico, posuit M. D. Rec-
» tor in deliberationem facultatum, quid in præmissis sit
» agendum, super quo conclusit Rector, quod SS. D. nostro

» Papæ rescribendum est, quod Universitas vult suæ Sancti-
» tati parere, atque statutum, cujus meminit, servavit et
» servare intendit, agendo gratias Suæ Sanctitati pro cura
» quam erga filiam suam Universitatem et Catholicam Reli-
» gionem gerit. »

Idem pontifex Pius IV, exequendum mandans quod ad providam Ecclesiæ directionem Tridentini Patres decreverant, die 13 novembris an. 1564 edidit formam professionis fidei, de qua fusius agitur *Synodici Belgici tom. I, p.* 179 181. Quum juxta hanc formam fidei Christianæ professio ubique gentium solemniter facienda sit in primis a quibuscumque promotis aut promovendis ad aliquam liberalium artium facultatem, electisque et eligendis ad cathedras, lecturas et regimen publicorum gymnasiorum; Universitas Lovaniensis anno 1567 hanc fidei professionem, cujus exemplum nacta erat, solemni ritu emisit, deinde in ordinaria sua congregatione, die 28 novembris an. 1579 in aula Dominicanorum celebrata, sequens decretum circa subditorum suornm professionem fidei condidit : « Alma Universitas studii generalis Oppidi Lova-
» niensis perniciosis ac subdolis pessimorum hominum stu-
» diis, qui in Academias non tam studiorum quam explorandæ
» christianæ libertatis gratia, latenter irrepentes et Catho-
» licorum se gregi insinuantes, incautos plurimos inficiunt,
» occurrere volens, ut illibata atque integra ab omnibus
» servetur Catholica Romana Religio, et ne quisquam in
» his quæ ad fidem hominis vere christiani pertinent, igno-
» rantiam ullam prætendere possit : statuit, ut non solum
» ab his qui gradu aliquo in quacumque facultate insigniendi
» sunt, et ab omnibus cujuscumque Professoribus, verum
» etiam ab omnibus et singulis qui deinceps in matriculam
» dictæ Academiæ inscribentur, fidei juramentum juxta
» decretum Bullæ Pii Papæ quarti præstetur, utque omnes
» illius exemplar penes se perpetuo retineant, idque sub
» pœna privationis jurium omnium, immunitatum ac privile-

» giorum dictæ Universitati concessarum. » Ab eo tempore, quo hoc decretum publicatum fuit, ad finem quarti juramenti post verba *Romani Pontificis* hæc quoque addicta fuerunt: *juxta tenorem Bullæ Pii IV, quam verbatim hic in præsenti profiteor ac juro, ejusque copiam me reservaturum promitto.*

Eam deinceps immatriculationis formulam, quæ quatuor prædictis juramentis et fidei professione juxta Bullam Pii IV constabat, continuo adhibuit Academia. Illud autem an. 1617 in visitatione Universitatis comprobatum fuit; nam art. 1 et 2 diplomatis præscribitur, ut nemo ad professionem publicam vel privatam admitteretur, nisi professus fuerit sub juramento religionem catholicam apostolicam romanam, sub pœna privationis a sua professione et expulsione ab Universitate; utque alumnus admitteretur, vel tamquam nullus alumnus in Universitate habitaret, nisi prius consueto more a Rectore intitulatus fuerit, et articulos in eadem intitulatione statutos solemniter juraverit. Statutum perpetuo usu receptum adeo stricte servabatur, ut quum anno 1642 ad civitatem Lovaniensem tres Dani nobiles iique Lutherani advenissent, nequidem per commendatitias regis sui literas ab Universitate vel aula regia obtinere potuerint, ut Academiæ adscriberentur, prout refertur in epistola die 7 maii an. 1664 a Rectore et Universitate scripta ad marchionem de Carasena Belgii gubernatorem, quæ exstat *Recueil des représentations belgiques, part. eccl. IV, rec. p.* 24.

De reliquis juramentorum, quæ præstari consueverant, formulis data occasione agemus. Hoc insuper loco notabimus, medio sæculo decimo octavo, quum jam res novas moliri ceperant ii qui Austriacæ domus nomine Belgio præerant, inter has formulas nonnullis displicuisse illas, quæ formularium Alexandrinum contra hæresim Jansenianam et privilegiorum ac jurium academicorum incolumitatem spectant. Anno 1766 die 20 mensis augusti facultas Theologica, Decano Stephano Dominico de Laittres, Rectori mag-

nifico tradidit, ut mandatis gubernii satisfieret, formulas juramentorum quæ a graduatis in Theologia præstari debebant, declaravitque nihil esse in illis juramentis, quod mutationem exigeret. Eadem procul dubio declaratio ab aliis facultatibus emissa fuit. Nihilominus sequens decretum cæsareum, de die 19 mensis augusti an. 1782. Universitati denuntiatur.

« Sur le compte qui nous a été rendu des formules de sermens qu'il est d'usage de faire prêter dans les différentes facultés de notre Université de Louvain; voulant restreindre ces formules à ce qui est de raison, Nous avons déclaré et déclarons par la présente, à la délibération des Sérénissimes Gouverneurs-Généraux :

» 1°. Que désormais les étudiants dans l'Université, lors de leur entrée ou immatriculation, ne jureront autre chose que la profession de foi prescrite par Pie IV, et cela simplement, et sans qu'il puisse être ajouté à ce serment aucune autre clause ni article directement ou indirectement, de quelque nature et de quelque objet que ce puisse être.

» 2°. Le même serment se répétera immédiatement avant l'acte de Licence; et tous autres serments intermédiaires quelconques seront et demeureront supprimés; vous défendant de les introduire ou exiger de nouveau, ou d'y en substituer d'autres, à peine de désobéissance.

» 3°. A l'entrée au collége de quelque faculté, on jurera purement et simplement la profession de foi ci-dessus mentionnée, et au surplus de faire tout ce qu'à bon et fidèle membre du dit collége incombe et appartient.

» 4°. Et finalement à l'admission au doctorat, on se bornera à faire jurer 1°. la profession de foi de Pie IV ci-dessus rappelée, 2°. de n'admettre personne aux degrés académiques qu'après l'en avoir reconnu capable et 3° de faire tout ce qu'à bon et fidèle docteur incombe et appartient.

» Abolissons toutes autres prestations et formules de serment quelconques, ci-devant usitées dans notre dite Uni-

versité; et ordonnons à tous ceux qu'il appartient, de se conformer ponctuellement au prescrit de notre présent décret, qui sera à cet effet enregistré aux registres de l'Université et des facultés respectives. »

Academia, Aulæ mandatis hoc tempore continuo vexata, decreto cæsareo ægre morem gerere visa est; donec anno 1791 (postquam die 5 mensis februarii facultas Theologica denuo declaraverat antiquas juramentorum formulas neque abrogandas esse, neque in iis aliquid esse quod mutationem exigeret) Majorum instituta libere servata fuerunt.

NOT. 9, pag. 4.

Anno 1530, quum Henricus VIII, Rex Anglorum repudiare vellet Catharinam Arragonensem, quæ ipsius fratris Arthuri defuncti uxor exstitit, quæque post impetratam pontificiam dispensationem Henrico nupsit, in Academiis Oxoniensi et Cantabrigiensi agitata fuit quæstio : *An divino et naturali jure sit prohibitum, ne frater uxorem fratris, etiam mortui, ducat in uxorem?* Hac de re in Oxoniensi Academia dissensio fuit, et facultas *Artistarum* seu Magistrorum in Artibus ad hoc adduci numquam potuit, ut secundum vota Regis diceret nullam dispensationem a Summo Pontifice hac in re concedi fas esse. Sed Cantabrigienses sententiam suam sic edixerunt : *Prohibitum est divino et naturali jure, ne frater uxorem fratris, etiam mortui sine liberis, ducat in uxorem.* Simulque in Gallia et Italia celeberrimarum Academiarum, regiis pecuniis magna ex parte corruptarum, responsa hac de re Henricus requisivit. Aurelianensis Academiæ Jurisconsulti et facultatis Theologicæ Parisiensis plures Magistri, secundum Henrici Angliæ Regis et Francisci I Galliarum Regis voluntatem, suffragium suum temere dederunt. His exemplis seducti Oxonienses Doctores Theologi, metu etiam accidente minarum a Rege eis intentarum, responderunt : *Quod ducere uxorem*

fratris, mortui sine liberis, cognitam a priore viro per carnalem copulam, nobis Christianis est de jure divino pariter ac naturali prohibitum. Integra hujus responsionis formula exstat in Historia Universitatis Oxoniensis lib. I, pag. 255. Sed etsi nomine Universitatis Oxoniensis per Cancellarium inscripta sit, ut Regi satisfieret, tamen Artistæ, inter quos Jurisconsulti erant, judicii participes non fuerunt, illudque improbarunt. Aliarum Academiarum responsa, videlicet Aurelianensis, Andegavensis, Parisiensis facultatis decretorum, Theologorum Parisiensium et Tholosanorum, ac Jurisconsultorum Bononiensium et Ferrariensium reperiuntur collecta in Actis e Turri Londinensi extractis. Responsum Theologorum Parisiensium an genuinum sit facultatis Theologiæ Parisiensis judicium merito in dubium vocant Bossuet *Hist. des Variations des églises protest. liv. VII, n.* 70 *et* 71, et Le Feuvre Doctor Sorbonicus in epist. ad Bossuetium data die 13 mensis Maii an. 1687. Cfr. *OEuvres de Bossuet, tom. XIX, p.* 452 *et tom. XLII, p.* 627, *édit. de Versailles.*

Academiam Coloniensem pecuniarum largitione ab Henrico VIII frustra tentatam fuisse commemorat Petrus Blomevenna, Cartusianus Coloniensis vita sanctissime functus anno 1536. In epistola dedicatoria Commentarii Dionysii Cartusiani in quartum librum Sententiarum illius Universitatis Theologos de spretis regiis pecuniis laudat, aliarum vero quorumdam Academiarum turpissimam adulationem non tacet. « Nullus, » inquit, unquam casus potuit vestram labefactare innocen- » tiam, auctoritatem deprimere, constantiam superare. Sic » nuper quum rex quidam magnus et potens multis auri pondo » sperasset a vobis quam petebat sententiam emere, spreto » auro repulsus sensit inexpugnabilem animorum vestro- » rum constantiam. Pudet referre quid interim ab aliis ali- » quot per fraudem et pretium Universitatibus impetraverit, » quamquam frustra, vobis non accedentibus, neque in eam- » dem vadentibus sententiam : tanta est vestra auctoritas,

» talis vester est candor, tale judicium vestrum! » In aliis Germaniæ Universitatibus quid tentatum fuerit, colligitur ex Joanne Cochlæo, qui in opusculo adversus Richardum Morisonum Henrici partes defendentem scribit : « Offerebatur » mihi his annis superioribus ampla remunerationis et auri » spes, si contra matrimonium regis cum Catharina vel ipse » scribere vel Universitatum aliquot Germaniæ sententias, » quales aliquot Galliæ et Italiæ Academiæ dedissent, pro- » curare voluissem. Sed cum esset ea spes contra conscien- » tiam meam, dixi, sicut dixerat in prima sui tentatione » Balaam : Si dederis mihi plenam domum argenti et auri, non » potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus vel » minus loquar aut scribam quam in lege Domini habetur. » Cfr. Nicolai Sanderi *Historia schismatis Anglicani*, *p.* 48, *edit. Col. an.* 1628; Joachim Le Grand, *Hist. du divorce de Henry VIII, tom. I, p.* 169-189; et Audin, *Histoire de Henri VIII, et du schisme d'Angleterre*, tom. I, chap. 7 et suiv.

NOT. 10, pag. 6.

Typis paratum habemus opusculum cum appendice literarum ineditarum quas ex civitate Wormatiensi de colloquio illo ad Viglium Zwichemum, sanctioris consilii præsidem, scripsit Franciscus Sonnius : *Notice sur la part qui a été prise par les Théologiens belges au colloque de Worms.*

NOT. 11, pag. 6.

Quæcumque spectant ad ea quæ Clerus Belgii et Theologi Lovanienses in concilio Tridentino egerunt, exponere conati sumus in opere inter Commentaria regiæ Academiæ Belgicæ (tom. XIV), typis excuso : *Mémoire sur la part que le clergé de Belgique et spécialement les docteurs de l'Université de Louvain ont prise au concile de Trente;* Bruxelles 1841, in-4°.

NOT. 12, pag. 6.

De publicatione et receptione canonum ac decretorum concilii Tridentini, vide *Synodicum Belgicum*, tom. I, p. 7-28.

NOT. 13, pag. 7.

De vita et scriptis Ruardi Tapperi, Cfr. Valerius Andreas, op. cit. p. 105; Foppens, *Bibliotheca belg.* tom. II, p. 1084; *Annuaire de l'Université catholique* 1839, p. 283 et p. 299; it. *Annuaire de* 1841, p. 178.

Quid Sonnius Romæ pro erectione novorum episcopatuum egerit, et qua ratione negotium maxime arduum in Belgio ad optatum finem perductum fuit, explicant Havensius in *Commentario de erectione novorum episcopatuum*, et Foppens *Diplomatum Belgic.* tom. III, p. 515 et seq. Cfr. *Annuaire de l'Univ. cath.* 1840, p. 195.

NOT. 14, pag. 8.

Epist. S. Pauli ad Ephesios cap. IV, vers. 12.

NOT. 15, pag. 8.

Gandavensem cathedram *Cornelius Jansenius*, Antverpiensem *Franciscus Sonnius*, Iprensem *Martinus Balduini Rythovius*, Brugensem *Petrus Curtius*, et Ruræmundensem *Wilhelmus Damasi Lindanus* primum illustrarunt. Francisco Sonnio, Antverpiam translato, in sede episcopali Buscoducensi successit *Laurentius Metzius*, S. Theologiæ licentiatus et privilegiorum Academiæ conservator.

Quod ad metropolitanam ac primatialem ecclesiam Mechliniensem attinet, quum Cardinalis Granvellanus in Hispania et Italia commoraretur, totam illius regendæ molem tempore turbatissimo summa prudentia per annos viginti tres sustinuit

Maximilianus Morillonius, Lovanii natus, et juris utriusque laurea insignitus. Hic laborum et vigiliarum præmium tandem retulit episcopatum Tornacensem.

Inter Episcopos, qui ecclesiis in Ultrajectina provincia erectis primi præsules dati sunt, Lovanium quoque doctores et alumnos habuit. Adolescentiæ annos in Academia Lovaniensi exegit, et primum in generali artium promotione locum obtinuit *Johannes Malusius*, primus Daventriensium episcopus electus, qui in Aldenardensi direptione ab hæreticis facta opprobriis lacessitus et vulneribus confossus, martyr occubuit. Ad infulas Ecclesiæ Groeninganæ promoveri meruit *Joannes Knyf*, Lovanii pariter philosophicis et theologicis disciplinis enutritus. Leowardiensem episcopatum primus et postremus Antistes rexit *Cunerus Petri* S. Theologiæ Doctor et Professor, Academiæ Rector, Ecclesiæ D. Petri Plebanus et Canonicus.

Middelburgensium et Zelandorum episcopus *Nicolaus a Castro*, patricius Lovaniensis, S. Theologiæ Licentiatus et Collegii Buslidiani Præses, præclara quævis virtutum exempla præbuit. De civium suorum bono etiam terreno sollicitus, Albano duci, odiosam denarii decimi exactionem in Zelandiam inducere molienti, fortiter obstitit. Civitate Middelburgensi ab Auriaco principe acri et diuturna obsidione circumcincta, cives et milites ad constantiam hortabatur. Pastor bonus pro grege suo animam ponere paratus, præsenti periculo, licet sæpe rogatus, se subducere noluit, sibique imitandum proposuit exemplum S. Augustini, qui Vandalis Hipponem obsidentibus in sede remansit. Quemadmodum Augustinus fato prius functus est, ne stragem urbi intentandam videret; ita et Præsul Middelburgensis, antequam civitas ab hoste occuparetur, e vivis excessit, ne avitæ religionis excidium videre cogeretur.

Longum foret recensere nomina episcoporum omnium, quos ad finem usque sæculi decimi octavi schola theologica Lovaniensis progenuit; paucis tamen exponam quid plures eorum pro Almæ Matris splendore contulerint.

Quam pie erga Academiam essent affecti, obvia nobis testantur monumenta.

Lindanus, e Ruræmundensi cathedra ad Gandavensem translatus, paucis ante mortem diebus Rectori scribebat: *Si qua in re hîc aut alibi Matri nostræ carissimæ* Academiæ *gratum aliquod præstare valeamus officium, persuasum, quæso, habeat, nos ex animo ad omnia in Christo Jesu obsequia semper ipsi fore, uti hactenus ipsa re probavimus, totos paratissimos simul et peculiariter devotissimos.*

Quum *Joannes a Wachtendonck*, qui Lovanii philosophiæ et theologiæ studia absolverat, et licentiæ lauream acceperat, ab episcopatu Namurcensi ad metropolim Mechliniensem transferretur, Lovaniensium suorum gratulationi respondit: *Academiæ vestræ profiteor me filium et glorior; nec committam desiderari umquam a me ullam filialis observantiæ partem erga Almam Matrem.*

Illam quoque nutricem suam agnoscebat et palam venerabatur *Michael Ophovius* episcopus Buscoducensis.

Inter eos qui testamentorum tabulis jusserunt, suâ ut pecuniâ vel disciplinæ alerentur, vel studiosa juventus sustentaretur, in primis liberales exstiterunt Belgii episcopi. Neque hoc satis habuerunt, sed insuper collegiis largiter dotatis Academiam exornarunt.

Ineunte sæculo decimo sexto *Nicolaus Rutherus* episcopus Atrebatensis, multiplicium beneficiorum proventus, quibus pro istius sæculi more fruebatur, in pios usus adhibuit, et Academiam, cujus Cancellarius erat constitutus, magnifico decoravit collegio, quod ATREBATENSE, nuncupatur. Auspiciis Serenissimi Principis Ernesti, Leodiensium episcopi, erectum fuit collegium Leodiense. Præsul ille, ut in tabulis fundationis scribitur, necessarium duxerat, præter seminarium in civitate Leodiensi erectum, aliud etiam Lovanii instituere, in quo alumni, *qui majoris exspectationis essent, diligentius in studio theologico instituerentur, et hujus suæ institutio-*

nis, *graduum scholasticorum susceptione*, *publicum testimonium consequerentur*. Memorare juvat, Justum Lipsium collegii fundatori literis gratulatum fuisse, et spopondisse se, quantum valeret, collaturum ad perficiendum opus religioni et doctrinæ propagandæ susceptum. Alterum pro melioris spei in Theologia alumnis collegium instituit *Nicolaus Zoesius* episcopus Buscoducensis, Lovanii quondam in utroque jure Licentiæ laureâ exornatus. Collegium Regium, a Philippo II conditum procurantibus *Lindano* Gandavensi et *Vendevillo* Tornacensi episcopis, tertius præses rexit *Joannes Malderus*, S. Theologiæ doctor et professor. Postquam per annos plures tum vivâ voce tum libris editis eximiam probasset eruditionem, solâque doctrinæ ac virtutum famâ ad Antverpiensem cathedram evehi meruisset, sui in Academiam amoris tesseram reliquit collegium, quod a fundatoris nomine *Malderianum* dicebatur.

NOT. 16, pag. 9.

In actis Facultatis Theologicæ, sub decanatu Joannis Molani, ad diem 20 mensis maii 1573, hæc habentur : « Domini » inceperunt nonnihil sub juramento tractare, quod suo tem- » pore Actis inscribetur. — Domini sub juramento, ut cala- » mitatibus patriæ succurrerent, per litteras indicarunt Re- » giæ Majestati statum miserum patriæ ; et expedire, ut pro » Albano alius gubernator mittatur. Harum litterarum non » fuit conscius notarius (*seu bedellus*) Facultatis ; sed omnes » et singuli Magistri Facultatis eis subscripserunt, quia res » erat magni momenti. Et Decanus, cum Senensi (*Antonio de* » *Conceptione*, *Lusitano*, *ordinis Prædicatorum*, *anno* 1571 » *doctore renunciato*) curarunt sic litteras mitti, ut non esset » periculum interceptionis. Constat autem eas Regiæ Majes- » tati datas esse in manus. Post discessum autem Albani, » Facultas juramentum relaxavit, permisitque ista prudenter

» per opportunitatem dici. Litterarum tamen copiam, ad per-
» petuam rei memoriam, voluit per notarium et bedellum
» suum inseri in librum litterarum Facultatis; quod factum
» est sub decanatu D. Michaëlis (*Baii*) anno 74 (1574). » —
Cfr. Van de Velde, *Synopsis monum.* tom. I, p. 122, et tom. III, p. 1025; *Synodicon Belg.* tom. I, p. 170, et Reiffenberg, *Second mémoire sur les deux premiers siècles de l'Université de Louvain*, p. 18.

Sævitiæ, quam Albanus exercebat, pertæsus Philippus rex, ducem Medinæ Cœli sub medium junii 1573 in Belgium miserat, qui regimen susciperet Albano discedente. Hoc circiter tempore Morillonius Cardinali Granvellano scribebat : « J'es-
» père que sous le duc de Medina Celi les affections du peu-
» ple retourneront, ce que ne se fera jamais soubs Albe,
» estant il trop abhorré et réputé pour un homme qui n'a ny
» foy ny loy, et certes il ne faut espérer rien de luy; la pré-
» somption et l'orgueil est trop grand. Il ne veut croire aulcun
» conseil. » — Cfr. Groen Van Prinsterer, *Archives ou Correspondance inédite de la maison d'Orange-Nassau. Première série. Supplément* p. XVIII et p. 113.

NOT. 17, pag. 9.

Pacificatio illa, viginti sex articulis constans, Gandavi sancita fuit die 8 mensis novembris 1576, inter Status Brabantiæ, Flandriæ, Artesiæ, Hannoniæ, Valencenas, Insulas, Duacum, Orchesium, Namurcum, Tornacum, Ultrajectum et Mechliniam ex una, et principem Arausiacanum cum Statibus Hollandiæ et Zelandiæ, eorumque asseclis, ex altera partibus. Vid. P. Bor, *IX boek, p.* 180, et Strada, *dec. I, lib.* 8.

Joannes Austriacus requisitus ut *Pacificationem* solemni jurejurando confirmaret, petivit informari prius per attestationem, *utrum nihil sit in eo tractatu pacis, quod adversetur fidei et religioni catholicæ Ecclesiæ romanæ.* Mense decembri

episcopi, abbates (iidem indubie qui Pacificationi subscripserant), decani et pastores (quorum incomperta sunt nomina) formulæ attestationis subscripserunt, quo declarant se tractatus articulos singulos diligenter expendisse, *in eoque nihil deprehendere, quod repugnet aut adversetur sanctæ fidei aut religioni catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ romanæ; imo potius eumdem tractatum tendere in augmentationem et firmamentum ejusdem fidei et religionis. Necessarioque ita factum, finitum et conclusum fuisse habita ratione status rerum ejus temporis, quo dicta pax tractabatur.* Hanc attestationis formulam Ordines Belgii, literis Namurci datis die 24 decembris, miserunt ad Facultatem theologicam Lovaniensem; utque cum ea agat, et similem attestationem impetret, delegarunt Nicasium De Sille, juris utriusque doctorem, *quia*, inquiebant, *vestri nominis celebritas videtur nobis apud suam Celsitudinem* (Joannem Austriacum) *multum ponderis habitura.*

In die nativitatis Domini (25 decembris) Facultas, petentibus Statibus, de Pacificationis negotio suum scripsit judicium, quod attestationis formulæ conforme a Joanne Molano, tunc temporis decano, et a novem aliis doctoribus subsignatum fuit. Orabat Facultas, *ut quæ ad convocationem Statuum generalium in dictis articulis referuntur* (maxime quæ religionem et clerum concernebant), *quam citissime fieri poterit, executioni mandentur.*

Similis attestatio prolata fuit a Facultatibus Juris Canonici et Civilis, sub censura tamen et beneplacito Sedis Apostolicæ, eamque subsignarunt Joannes Wamesius, Petrus Peckius, Joannes Ramus, Mich. Herenbaut, et Joannes de Bievene.

Mox Pacificationem confirmavit Joannes Austriacus, et die 17 februarii 1577 publicari curavit. — Vid. Van de Velde, *Synops. monum.* tom. III, p. 1031.

NOT. 18, pag. 10.

Cfr. Joannis Lensæi, Belliolani, Sacræ Theologiæ regii Lo-

vanii professoris *Brevis per Conclusiones aliquot deductio, qua demonstratur eorum crimen qui novo et fictitio Brabantiæ duci juramentum præstant obedientiæ et auxilii, adversus Hispaniarum regem et ei adhærentes;* Lovanii apud Petrum Zangrium 1582, in-12.

NOT. 19, pag. 10.

In altera oratione, in solemni congressu academico habita, hæc de claris nonnullis Lovaniensium theologis retuli:

« A quo potius ordiar quam ab Urbis et Orbis capite *Adriano VI*, qui eo magis suspiciendus, quod, nullo majorum splendore commendatus, suis duntaxat meritis ad summum illud in terris solium ascenderit. Quum primum in Porcensi gymnasio deinde in collegio S. Spiritus studiis se totum consecrasset, adeo virtute et doctrinâ profecit, ut Theologiæ doctor et professor, Ecclesiæ D. Petri Decanus, Academiæ Cancellarius et Rector vicissim renunciaretur. Hunc Imperator Maximilianus nepoti suo septenni Carolo V præceptorem dedit. Quum deinde episcopus Dertusiensis, Ecclesiæ Romanæ presbyter Cardinalis et Hispaniæ prorex esset constitutus, eam continuo servavit animi moderationem, ut absens raro et inusitato exemplo Pontifex maximus communi purpuratorum patrum suffragio crearetur. Adrianum, supremâ dignitate insignitum, summo semper amore et honore matrem et nutricem suam Academiam prosecutum fuisse, testantur ejus diplomata, quibus et jura singularia Academicis concessit, et ab aliis concessa confirmavit; testantur ædes illæ, eo ipso in loco in quem convenimus, erectæ, quas quidem ex bonis ante pontificatum adeptis dotaverat, verum extremis tabulis convertit in collegium quod *pontificium* dicitur; testantur denique illa verba, quæ pontifex iterare solebat: *sibi jucundius fuisse Lovanii Gymnasium cum studiorum laude moderari, quam Romæ in Sede pontificia rempublicam Christianam administrare.*

» Ex Adriani schola et institutione prodierunt *Ruardus Tapperus*, *Joannes Driedo* et *Jacobus Latomus*. Quibus non minori laude digni successerunt *Joannes Hesselius*, *Judocus Ravenstenius* et alii qui cum ipsis in Concilio Tridentino inclaruerunt; præterea *Joannes Hentenius* et *Augustinus Hunnæus* græce et hebraice docti, *Thomas Stapletonius*, *Joannes Lensæus*, innumeri alii doctrinâ et scriptis suâ ætate optimorum Theologorum nomen consecuti; scriptis, inquam, hodie nimium vulgo neglectis, quantumvis dignis qui recentioribus plerisque non modo comparentur, quod parum sit, sed longe multumque anteponantur.

» Quanto semper in pretio fuerit *Joannes Molanus*, testatissimum reddunt gravissimorum hominum de eo præconia, quos inter Cardinalis Baronius aiebat, se tanti viri, de Ecclesia Dei et veritate catholica optime meriti, brevem scedulam deperire æquanimiter pati non posse; agnoscebat et confitebatur se omnesque eruditos Molani solertiæ plurimum debere.

» Exeunte sæculo decimo sexto Lovanii disciplinas sanctiores tradebat *Guilielmus Estius*, Theologus non minus christiana modestia quam vario eruditionis genere nobilitatus. Ille una cum *Francisco Sylvio*, quem Lovanium philosophiæ artiumque laureâ coronaverat, Duacenam Academiam, e Lovaniensi enatam, maxime illustravit. Alterum scholæ nostræ decus et ornamentum fuit *Christianus Lupus*, qui doctissimis ad Acta Conciliorum commentariis ostendit, quantum emolumenti e cognitione et usu antiquitatis et historiarum ad sacrarum disciplinarum studia profluat. Egregia quoque in rem theologicam merita habuit *Joannes Wiggers*, cujus in D. Thomam commentarii optimis hujus generis lucubrationibus sunt annumerandi, si demantur laxiores nonnullæ sententiæ, quas scholasticorum sui ævi opinionibus abreptas protulit, sed quas Martinus Steyaertius ad mentem scholæ Lovaniensis postea emendavit. Quid dicam de *Martino Steyaertio*, quo vix quisquam inter Theologos hanc Academiam majori illus-

travit gloria? Totam in studiis laboribusque sacris vitam consumpsit vir vere non comparabilis, optimi Theologi præstantissimum exemplar. Scriptis suis, quæ digna sunt ut omnium manibus versentur, nitidæ latinitatis præbuit exemplum, quod in loquendo scribendove imitaremur.

» Quod ad recentioris ætatis Theologos attinet, in hoc illustrissimo et ornatissimo consessu non desunt qui mecum testari possunt quales et quanti fuerint *Joannes Josephus Havelange*, *Gaspar Moser* et *Antonius Van Gils*; — non desunt qui suis ipsi oculis eorum animi modestiam ac ingenii elegantiam admirari potuerunt; — non desunt, quibus frui licuit societate et familiaritate *Joannis Francisci Van de Velde*, viri scriptis et laboribus, pro religionis et academiæ incolumitate adornatis et susceptis, longe clarissimi. Præbuit ille eruditionis omnigenæ specimina, quum vel e cathedra tamquam imbrem mitteret eloquia sapientiæ suæ, vel scripto res theologicas et historicas pertractaret. Tempora difficillima, in quæ incidit, impedimento fuerunt, ne typis vulgaret opera, quæ mente conceperat et currenti quasi calamo delineaverat. Quod Baronius de Molano edixit, illud ego (si quid mea valeat sententia, eamque palam proferre liceat) de *Veldenio* profitebor, et declarabo me tanti viri brevem scedulam deperire æquo animo pati non posse. Utinam temporis angustiæ non prohiberent, quominus vestros ante oculos ponerem *Veldenium*, quum ob constantiam in tuendis Academiæ juribus et propugnatam orthodoxæ fidei doctrinam in terra aliena latebras quærere cogeretur; quum Germaniæ Galliæque bibliothecas, Artiumque et Antiquitatum domicilia frequentando, hominum doctissimorum consuetudine longi exilii tædia leniret; quum tandem ad patrios lares summa omnium gratulatione reversus, docto otio consenesceret! Silentio tamen præterire nequeo, illum bibliothecam nostram academicam, cujus curam per annos viginti quinque gessit, selectissimorum librorum copia, quam et ipsi hujus Musæi spoliatores

admirati sunt, instruxisse; illum collegii theologici S. Spiritus splendidas ædes, eo quo nunc visuntur statu, partim e fundamentis erexisse, partim vetustate collapsas restaurasse; illum denique, postquam victricibus fœderatorum principum armis Galliarum Imperator cecidisset, et Belgio sereniora tempora affulgere crederentur, diu multumque laborasse et sollicitâ prece tentasse Summum Pontificem Pium VII, regum proceres in Vindobonensi cœtu congregatos et ipsum Belgii principem, ut Alma Lovaniensium Academia, inter gallicanos motus dispersa, pristino statui, quantum per tempora liceret, ex totius Belgii voto protinus restitueretur. »

NOT. 20, pag. 11.

Cfr. *Privilegia Academiæ Lovaniensi per Summos Pontifices et supremos Belgii principes concessa, variis edictis, decretis, sententiis, concordatis etc. confirmata;* Lovanii apud Egidium Denique, 1728, in-4°, pars I, pag. 271 et pars altera pag. 629. — Privliegia hæc summatim enumerantur in opusculo Judoci Le Plat: *Academiæ Lovaniensis adumbratio compendiaria,* edito Leodii 1786, p. 5.

NOT. 21, pag. 11.

Judicia Pontificum, Regum et aliorum de Academia Lovaniensi, exhibet Nicolaus Vernulæus, p. 193. Multa laudum præconia, post Vernulæi ætatem prolata, hisce addi possent.

NOT. 22, pag. 13.

Formula illa exarata a Joanne Lensæo, Belliolano, exstat tom. I, p. 168-200 opusculorum Martini Steyaerti: *Doctrinæ ejus quam certorum articulorum damnatio postulare visa est, brevis et quoad fieri potuit, ordinata et cohærens explicatio, a veneranda Facultate S. Theologiæ in Lovan. Aca-*

demia Reverendiss. Illustrissimique D. Joannis Bonhomi, Vercellen. Episcopi et Apostolici per utramque Germaniam Nuncii, voluntate ac jussu concepta. — Cfr. *Synodicon Belg.* tom. I, p. 162.

NOT. 23, pag. 13.

In tract. *de Virtute fidei*, *disput.* 20, §. 3. — Alterum de Baio testimonium edidit Cardinalis Toletus dicens : *Fateor et fatebor, nihil me vidisse Baio doctius, nihil Baio humilius.*— Cfr. *Mémoire sur la part que le clergé de Belgique et spécialement les docteurs de l'Université de Louvain ont prise au concile de Trente ;* p. 63, not. 3.

NOT. 24, pag. 13.

Jansonii integritatem doctrinæ alii prædicant, alii suspectam habent. Eum immerito reum agi ostendunt ea quæ referuntur in Analectis Kalendarii academici 1842, p. 141 : *Rapports du docteur en Théologie Jacques Jansonius avec le vénérable cardinal Bellarmin.*

NOT. 25, pag. 13.

In lucem prodiit infelix Jansenii liber, cui nomen *Augustinus*, anno 1640, biennio postquam ille e vivis excesserat. Eo tempore initium sumpserunt, quæ Petrus Lud. Danes, Theologus Lovaniensis, vocat *Hodierna Ecclesiæ certamina*, et quæ breviter enarrat in opere cui titulus : *Notio Temporum*, p. 231 edit. Paquot. Cfr. Van de Velde, *Synopsis monum. tom. II, p.* 318.

NOT. 26, pag. 14.

Inter innumera, quæ huc spectant, documenta, citare juvat illam Facultatis Theologicæ declarationem, de die 8 julii 1715, qua Theologi Lovanienses agnoscunt et palam profitentur *om-*

nes et singulas propositiones per bullam UNIGENITUS *damnatas, vere recteque damnatas esse, etiam sub earum respective censuris.*

Hanc secuta est die 23 decembris anni 1718 iterata declaratio, quæ tenoris est, ut sequitur.

« Testimoniis fide dignis ad nos perlatum est, cepisse denuo in Gallia et alibi spargi, quod circa acceptationem Constitutionis Apostolicæ, quæ incipit, *Unigenitus*, discordes sint Facultatis nostræ Magistri, aliis dictam Constitutionem acceptantibus, aliis eandem repudiantibus, aliis denique eam in Ecclesia obtinere vim legis negantibus.

» Quæ sane qua ratione de nobis nostraque Facultate spargi potuerint, prorsus non intelligimus.

» Siquidem Declaratio, quam edere nos a triennio compulerunt rumores ejusmodi, versatur in omnium manibus, in qua perspicue profitemur, agnoscere nos et sincere sentire, quod omnia et singula rite, legitime, ac servato juris ordine (ideoque vim legis in Ecclesia obtineant) quæ dicta Constitutio decrevit contra Librum Gallico idiomate editum, cui titulus : *Le Nouveau Testament en François avec des Reflexions*, *etc.*

» Palam insuper in eadem professi sumus, quod agnoscamus, omnes et singulas Propositiones damnatas per memoratam Bullam *Unigenitus*, fuisse vere damnabiles et vere recteque damnatas, etiam sub earum respective censuris, quarum saltem aliquam singulæ earum merebantur, quemadmodum id nos intelleximus, cum declarationem nostram edidimus, et ita intelligi debere expressit Sanctitas sua omnes fideles docens, quod in sua Constitutione, « plures noxios articulos ex eodem » libro excerptos censuris variis, quas respective, ut aiunt, » hoc est, singuli aliquam saltem earum merebantur, notatos, » pro hujus Sanctæ Sedis more proscripserit. » Sic enim sub variis respective censuris LEO X damnavit 41 errores Lutheri ; Pius V et Gregorius XIII 79 errores, vulgo Baianos ; Innocentius XI 68 errores de Molinos ; Alexander VIII 31 Propositiones ;

Innocentius XII 23 propositiones desumptas ex libro, cui titulus : *Maximes des Saints*. Sic ipsum etiam Concilium Constantiense sub simili plane forma sessione octava damnavit 45 articulos Joannis Wicleff, et sessione decimâ quintâ 30 articulos Joannis Husz.

» Huic autem tam apertæ Declarationi a tempore, quo primum condita fuit, constanter ac unanimiter hactenus inhæsimus, inhæremus, ac Deo juvante, semper inhærebimus, insistentes vestigiis Majorum nostrorum, præsertim in præfatione, quam anno 1588 justificationi seu defensioni celeberrimæ suæ Censuræ præmiserunt, ubi unanimiter et solemniter profitentur, utì sequitur : *Illud nobis solemniter præmittendum, ut quæcumque a nobis hic dicta sunt, totamque sententiam ac disputationem in hoc argumento nostram Apostolicæ Sedi, tanquam Ecclesiæ totius Magistræ, prout par est, semperque fecimus, toto cordis affectu ac devotione submittamus, gratissimo animo accepturi quidquid hâc in causâ decernendum præscribendumque censuerit, ejus vocem ac definitionem, non secus atque a B. Petri Cathedra ac Spiritus Sancti per eum loquentis ore profectam, obedienter reverenterque suscepturos esse profitentes, ut tota intelligat Christi Ecclesia esse et nos Sedis Apostolicæ Filios, qui ab ejus Decretis ac Definitionibus ne latum quidem unguem Dei gratiâ discedere propositum habeamus.*

» His nova quotidie accedunt argumenta, quibus ad firmius ac firmius semper Declarationi nostræ inhærendum movemur, inter quæ illud palmare est et irrefragabile (quod et Appellantes ipsos flectere deberet) suam Sanctitatem in suis ad omnes Christi-fideles Litteris palàm testificari quod tota Christi Ecclesia, Christum per os ejus loquentem secuta, Constitutionis ejus doctrinam debito obsequio atque obedientiâ susceperit.

» Sed et ipsa Sanctitas sua, ad os iis obstruendum, qui alienis ab ipso verborum cortice interpretationibus Apostolicam

Constitutionem malignè carpere, et ad majorem ei undequaque faciendam invidiam affirmare audebant, se ab ea suscipienda retardari, eo quod suspicarentur per illam damnari sententias atque doctrinas, quas insignes Catholicorum Scholæ absque ulla censura tenuerunt hactenus et docuerunt :

» Demonstrare dignata est, ignorare eos non debere sententias illas ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per Apostolicam Sedem damnatis confundunt, palam ac libere in Scholis Catholicis, etiam post editam memoratam Constitutionem, sub oculis suæ Sanctitatis doceri atque defendi, illasque propterea minime per illam fuisse proscriptas.

» Atque hæc sunt documenta prorsus ineluctabilia, quibus innixi constantius indies Constitutioni Apostolicæ nostræque circa illam declarationi, anno 1715 editæ, inhæremus, valde alieni ab iis, qui sensum proprium communi Fratrum sententiæ, quin et supremæ B. Petri Cathedræ judicio obstinate præferentes, per appellationes ad Generale Concilium, aut per recursus ad tribunalia laïca, quantum in ipsis est, Constitutionem hanc Apostolicam labefactare conantur.

» En genuinam circa Bullam *Unigenitus* sententiam Facultatis Theologicæ Lovaniensis, quæ sub juramento convocata, eam ex unanimi Magistrorum suorum judicio in cubiculo Theologorum declaravit, ac typis edi mandavit.

» Acta sunt hæc die 23 Decembris 1718. » — « *Quod attestor* Signatum erat : Franciscus Van de Velde, S. Facultatis Th. Bedellus et Not. »

NOT. 27, pag. 14.

Cfr. *Theologorum Lovaniensium circa constitutionem Unigenitus orthodoxa professio et ad Augustissimum Cæsarem humilis snpplicatio,* de die 20 octobris 1721, et decretum academicum de die 30 decembris 1730, quo statuitur, ut nullus ad gradum, dignitatem vel officium academicum admittatur,

nisi formulam ab Alexandro VII præscriptam, juxta dispositionem et mentem Clementis XI, jure jurando firmaverit.

NOT. 28, pag. 14.

Vid. Steyaertii opuscula, tom. I, p. 100.

NOT. 29, pag. 15.

Vid. Van de Velde, *Synops. monum. tom. III*, p. 854, et Steyaertii opuscula, tom. I, p. 1 et seqq.

NOT. 30, pag. 15.

Vid. *Le vœu du peuple belgique contre le séminaire général de Louvain*, publié par le chanoine De Brou, 1788, in-8°.

NOT. 31, pag. 15.

Decretum Universitatis Lovaniensis super doctrinali declaratione Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis et Facultatis Theologicæ declarationem vide in *Synod. Belg. tom. II*, *p.* 181 *et* 182.

NOT. 32, pag. 16.

Inter Analecta Kalendarii Academici 1832, p. 192—214, excusa sunt *Documents relatifs aux mesures prises en* 1796, *pour forcer l'Université de chômer les fêtes républicaines.* — Verba, in oratione citata, excerpta sunt ex dissertatione qua ostenditur non esse acquiescendum decreto municipalitatis Lovaniensis. Vid. *Annuaire* 1842, p. 211.

NOT. 33, pag. 17.

De *Cathedra Petri, ut est regula fidei, secundum antiquam et continuam doctrinam Theologorum Lovaniensium*, die 11 novembris 1721 in solemni consessu academico orationem habuit Hermannus Damen, quam (quia brevi compendio præcipua rei capita complectitur) hoc loco integram refero.

« In subselliis nostrorum Majorum sedemus : dignum proinde est, ut ea, quæ ipsi *pro officio*, *quod in Ecclesia Dei se gerere* dicebant (1), nobis tradiderunt, nos pariter tradamus discipulis nostris : præcipue, quoad ea, *quæ respiciunt Orthodoxam Religionem*, *Sanctamque Fidem nostram* ; atque adeo definitiones Cathedræ Petri, per quas dogmata fidei, morum ac religionis, toti Ecclesiæ credenda et tenenda proponuntur : exigentibus idipsum etiam præsentibus rerum ac temporum circumstantiis.

Itaque pro spatio mediæ horæ nobis ad disserendum concesso, paucis in Actu hodierno, quo Magisterium in Sacra Theologia festive celebratur, coram hoc ornatissimo consessu ac cœtu, ex nostris Majoribus ostendere conabimur, hanc esse antiquam, et continuam, certam et indubitatam doctrinam illorum, quod definitio, quæ super fidei, morum ac religionis negotiis, ad totam Ecclesiam spectantibus, a sola Cathedra Petri proficiscitur, et inde ad universos Christi Fideles dirigitur, *sit Regula Fidei*, etiam independenter ab interventu concilii generalis, et antecedenter ad accessum Ecclesiæ Universalis.

Ita ut conceptus iste de accessu Ecclesiæ, post quem scilicet et per quem definitio Sedis Apostolicæ sine concilio generali demum redderetur Regula Fidei, sit ab avita et antiqua doctrina nostrorum Majorum alienus, et ab ipsis (ut infrà videbitur) expresse reprobatus.

(1) Verba sunt Facultatis Theol. Lov. anno. 544, in Præf. ad art 32

Porrò, ut hoc obiter præmittamus, tunc Romanus Pontifex, secundum nostros Majores, *ex Cathedra Petri* definit, *quando toti Ecclesiæ Christi aliquid præscribit credendum; tunc proprie officio Petri fungitur; tunc fides ejus, non solum non deficit; sed etiam firmat Ecclesiam :* ita noster Hesselius (1).

Hoc autem semel pro semper cupimus observatum : quod unicus scopus hodierni nostri propositi sit, agere de sola doctrina nostrorum Majorum, et illam ipsam, quam de definitionibus solius Cathedræ Petri tradiderunt nobis, tradere genuinis discipulis nostris.

Ordimur a *Joanne Driedone*, qui, anno 1512 gradum doctoralem consecutus, præfatam doctrinam ex professo tradit; et omnigenis totius antiquitatis monumentis stabilit, *lib. 4 de dogm. variis*, ac imprimis p. 3, cap. 3. « Hæc est, inquit, » *Augustini doctrina* plane docentis, portas inferi non præva- » lere unquam adversus *Ecclesiam seu Cathedram Petri.* Sed » quia *odientes Ecclesiam Romanam* forsitan dicent : portas » inferi non prævalere unquam adversus Ecclesiam Petri *Uni-* » *versalem ;* et hoc voluisse Augustinum ex doctrina Salvatoris : » nam et ait ibidem Augustinus, *Petrum gessisse figuram to-* » *tius Ecclesiæ :* Respondeo (inquit Driedo) *ex doctrina Au-* » *gustini patet, eumdem non voluisse* ID SOLÙM ; *sed etiam*, » QUOD NON DEFICIET *fides ab Ecclesia Petri, in Sede Petri, in* » *Sede seu Cathedra sua.* »

« Nam et ipse, videlicet Augustinus, quemadmodum cæteri » Episcopi in Concilio Africano et Milevitano, *in his, quæ de Fi-* » *dei sunt*, *consulebant* ROMANAM SEDEM *tamquam* NORMAM A FIDE » NON DEVIANTEM, *cupientes ejusdem Sedis Auctoritate vel ap-* » *probari vel reprobari,* QUÆ SUNT SERVANDA PER UNIVERSUM OR- » BEM. » Hactenus Driedo. Ecce patenter docet Driedo noster ex clara doctrina S. Augustini et Patrum Africanorum, quod definitio solius Sedis Apostolicæ, seu Cathedræ Petri, in his

(1) De Cathed. Petri protect. et firmam c. 10

quæ sunt fidei, ejusque approbatio vel reprobatio *sit norma a fide non devians;* et quidem ideo *servanda per universum orbem. Norma autem a fide non devians* in his quæ fidei sunt, non potest non esse Regula fidei.

Hanc veritatem eodem libro confirmat argumento hoc gravissimo : « *omnes ab initio* Ecclesiastici Pontifices, Patres, » Martyres, et *Universalis Ecclesiæ Concilia,* honoraverunt » *Romanæ Ecclesiæ Pontificem, tanquam Supremum et Uni-* » *versalis Ecclesiæ Episcopum,* ad quem super anxiis rebus, » *quoties ratio fidei ventilatur,* DEBEAT (non dicit, *possit,* uti » hodie nonnulli volunt, sed *debeat*) *haberi recursus.* Quemad- » modum Beatus *Innocentius* docuit ante annos mille et cen- » tum, ad Augustinum, ceterosque Africanos scribens : *secun-* » *dum antiquam Sanctæ Sedis regulam, semper observatam,* » *causam fidei ad Petri Sedem* DEBERE *referri.* » Ita rursum Driedo.

Quo suo ratiocinio indubitanter asserit, hanc suam doctrinam, nedum in S. Augustino et Patribus Africanis, verum etiam in omnibus ab initio Ecclesiasticis Pontificibus, Patribus, Martyribus, et Universalis Ecclesiæ Conciliis esse fundatam.

Ex qua deinde, odientes Ecclesiam Romanam, et colla sua supra et contra Cathedram Petri erigentes, sic insectatur : « *Antiquus,* inquit, *omnium schismaticorum mos,* volentium » pacem Ecclesiæ scindere, est colla erigere contra Sacerdotes » Dei, et *contra Cathedram Petri;* non semetipsos respicere, » sed alios temere judicare, servos Dei contumeliis lacerare, » injuriis, detractionibus, *et libellis famosis* infamare, quibus » contemptibiles reddantur, quibus et minuatur apud plebem, » non solum eorum fama, sed et sacerdotalis dignitas, et *vene-* » *randa* SUCCESSORIS PETRI *Cathedra et Potestas :* quemad- » modum olim de sui sæculi schismaticis, inquit Cyprianus, » quod mendacia adversus Sacerdotes Dei, diaboli voce prolata, » ad rumpendam catholicæ unitatis concordiam, ubique jacta- » bantur. » Huc usque Driedo.

Driedonem subsequitur noster *Jacobus Latomus*, factus Doctor anno 1519. Vir ille, una cum Collega suo vere Eximio, Joanne Driedone, adversus Lutherum, ejusque tunc emergentes hæreses pro Cathedra Petri propugnator acerrimus, hoc sibi (1) proponit argumentum pro parte Lutheri *contra definitionem Sedis Apostolicæ, a qua sola Lutherus tunc damnatus erat*, objectum; et quo dicebatur : *judicium* FINALE *in rebus Fidei et Religionis esse apud generale vel universale concilium, a quo nondum est Hæresis Lutherana judicata et damnata : ergo non est ab omnibus pro Hæresi habenda et damnanda.* Sed argumentum istud Lutheranum, ita dissolvit Latomus, ut totam rem nostram omnino conficiat. Etenim ex sancto Augustino late et valide statuit : quod *judicium finale* in rebus fidei, non tantum sit apud concilium generale vel universale, prout prætendebat tunc Lutherus et Lutherani, verum etiam, apud solam Sedem Apostolicam seu Cathedram Petri sine concilio generali vel universali, prout sustinebat cum nostris Majoribus Latomus.

Et hinc constanter concludebat Latomus, *satis esse quod Hæresis Lutherana judicata et damnata sit a Sede Apostolica sine generali concilio; ad hoc ut ab omnibus pro hæresi habeatur et damnetur.* Quod ipsum ut lectori æquo ac integro pateat evidenter, ipsum Latomum ad argumentum istud Lutheranum, prolixe quidem, at orthodoxe tamen ex Sancto Augustino et Sacris Canonibus respondentem audiamus.

Itaque Latomus ad argumentum istud sic reponit : « non » valet (argumentum istud, inquit) quia Lutherus non habet » unam aliquam Hæresim particularem novam, quæ prius non » fuerat; sed habet hæreses olim a conciliis damnatas, in qui- » bus non est opus nova sententia, sed antiqua sufficit. »

Ast non ita sistit Latomus. Verum, ut prorsus obstruat os Lutheranorum, sic immediate pergit : « dato etiam, quod *no-*

(1) Var. quæst. gen. ad prim. Paradox. Lutheri.

» *vam hæresim fecisset, non tamen opus esset Synodo ad illius* » *condemnationem*, ut aperte probant verba Augustini in fine » Libri 4 contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium, » ubi ostendit, *paucas hæreses damnatas a Synodis, et multo* » *plures sine Synodis.* Augustini verba sunt : aut vero con- » gregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur; » quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodi congregatione » damnata sit; *cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas* » *damnandas necessitas talis extiterit, multoque sint atque* » *incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari,* » *damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devi-* » *tandæ, innotescere potuerunt.*

Subjungit ex Augustino Latomus : « Verum eorum superbia, » hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos, » *Orientis et Occidentis* Synodus congregetur. *Orbem quippe* » *catholicum, quoniam, Domino eis resistente, pervertere ne-* » *queunt, saltem commovere conantur.*

» Cum potius vigilantia et diligentia Pastorali, *post factum* » *illis competens sufficiensque judicium* (utique per solam » Sedem Apostolicam) *ubicumque isti lupi apparuerint, con-* » *terendi sunt, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut alio-* » *rum salubritate vitentur.* »

Huc usque ex S. Augustino Latomus, qui doctrinam S. Augustini præcitatam, ad rem suam adversus Lutherum et Lutheranos impendens, ita subnectit : « *Ex istis verbis Augustini* » *clare habetur, non opus esse Synodo Generali pro aliqua hæ-* » *resi damnanda, imo nequidem Synodo particulari.* » Ecce uno ictu doctrinæ Augustinianæ per Latomum adhibitæ, jugulatus Lutherus et Lutheranus, qui tunc a Cathedra Petri appellabat ad concilium generale futurum.

Prosequitur Latomus : « secundo habetur, quod sine Syno- » do fit plerumque contra hæreticos et exercetur *sufficiens et* » *competens judicium* : QUO FACTO ad sententiæ executionem » procedendum est adversus hæreticos, pro eorum salute, si

» sanabiles sint, aut pro salute aliorum, si remanserint perti-
» naces. »

Ergo, juxta Latomum, judicium illud solius Sedis Apostolicæ adversus hæreses et hæreticos, sic est judicium *competens et sufficiens*, ut simul sit *finale;* nam *eo judicio facto*, nullum aliud judicium est expectandum, sed ad sententiæ executionem adversus hæreses et hæreticos est procedendum; ut mox amplius constabit.

Post hæc addit Latomus « Aliud enim est judicium *suffi-*
» *cientissimum*, aliud *sufficiens*. Sufficiens enim est, quod de-
» bito ordine per judicem competentem exercetur; sufficien-
» tissimum vero, quod non solum per judicem competentem,
» sed per judicem supremum, cæteris paribus, sententia fertur.»

Ut autem ostendat Latomus ad rem suam, quam contra Lutherum tuebatur, sufficere judicium illud competens, de quo ex S. Augustino agebat, sic ulterius procedit: *Igitur non ingrediendo difficultatem, an Papa sit supra Concilium vel econverso:* ad hæc verba Latomi, quæ paulo post expendemus, suspende paulisper, benevole Auditor, judicium tuum, et interea attendamus totam responsionem Latomi, ut, ea tota perspecta, mens et sentencia Latomi tota pariter elucescat; de qua tunc statuatur, quod æquum est.

Tandem Latomus responsionem suam adversus objectionem Lutheranorum sic concludit: « Igitur non ingrediendo difficul-
» tatem, an Papa sit supra Concilium vel e converso: SATIS EST
» (nota) SATIS EST *præsenti proposito, quod hæresis Luthe-*
» *rana nominatim in articulis supra nominatis* A SEDE APOS-
» TOLICA *damnata sit.* » Nimirum adhoc, in quo cardo totius objectionis Lutheranæ versabatur: *Ut ab omnibus pro hæresi sit habenda et damnanda.*

Denique hanc suam conclusionem adversus Lutheranos sic confirmat Latomus: « *Nemo enim, nisi nimium contentiosus,*
» *negabit Apostolicam Sedem esse judicem competentem, etc.,*
» uti supra ex Augustino dixerat, *sufficientem:* cum sit aperte

» et pluribus locis, *Sacris canonibus cautum*, Causas fidei ad » Sedem Petri esse referendas. Ut Cap. *Quoties* : 24 quæstione » prima et Cap. *Majores* de Bapt. et ejus effectu. » Hactenus Latomus.

Ex cujus jam allata doctrina, omni sano et integro intellectui perspicuum fit, quod judicium finale in rebus fidei, non tantum sit apud concilium generale vel universale, verum etiam apud Sedem Apostolicam, sine concilio generali, imo etiam sine synodo particulari. Nam de judicio finali in rebus fidei unice disceptabatur in prædicta objectione Lutherana. Deinde liquido patescit, quod judicium illud competens et sufficiens solius Sedis Apostolicæ, quod adversus Pelagianos urgebat Sanctus Augustinus, et ex S. Augustino adversus Lutheranos Latomus, sit judicium finale in rebus fidei; quò facto nullum aliud sit expectandum, sed ad sententiæ executionem procedendum adversus hæreses et hæreticos.

Quod judicium illud competens et sufficiens sit judicium finale, manifeste etiam tradit noster *Cunerus* factus Doctor anno 1560. Hic in orthodoxo suo opusculo *de firmitate Cathedræ Petri*, ita pronunciat : « Cum Pelagiani generalem synodi » congregationem postularent, ille (nempe Augustinus) non » opus fuisse docens, tradit, *hoc Sedis Apostolicæ judicium* » *competens et sufficiens esse* ; ut, ubicumque isti lupi appa- » ruerint, conterendi sint. Sane IN DEFINITIONE ERRARE SI POSSET » PONTIFEX, *nequaquam ejus judicium* COMPETENS AUT SUFFICIENS » *in negotio fidei, cui falsum subesse non potest, censeri de-* » *beret.* » Ita Cunerus.

Ergo Latomus et Cunerus aperte docent, judicium solius Sedis Apostolicæ sine concilio generali, in damnandis hæresibus et hæreticis, esse judicium competens et sufficiens ; atque ita *finale*, in quo errare non potest Pontifex ; et quo facto nullum aliud judicium sit expectandum, sed ad sententiæ executionem procedendum.

Cum autem tale judicium solius Sedis Apostolicæ, sit judi-

cium in rebus fidei (omnis namque hæresis opponitur fidei) palam est, quod juxta nostros Majores, hujusmodi judicium sit judicium competens, sufficiens et finale fidei; adeoque competens, sufficiens et finalis *Regula Fidei;* quodque hæresis sic damnata, sit ad omnibus pro hæresi habenda et damnanda.

Nunc paucis expendamus verba Latomi hæc: *Non ingrediendo difficultatem, an Papa sit supra Concilium vel e converso : satis est, etc.* Profecto prudentissime Latomus sic contra Lutherum tunc locutus est.

Nam Lutherus, tunc temporis per solam Cathedram Petri seu per Leonem X damnatus, spreta Cathedra Petri, quam etiam Cathedram pestilentiæ nuncupare non cessabat, uti Adrianus VI, immediatus Leonis successor in Bulla ad Fredericum Saxoniæ Ducem testatur : tunc solum concilium generale vel universale inclamabat, et ad illud appellabat. Proinde Latomus pro tuenda definitione solius Sedis Apostolicæ contra Lutherum lata decertans, atque ita *ad hominem,* ut loquuntur, argumentans, summa circumspectione non est ingressus difficultatem illam, an Papa sit supra concilium vel e converso. Nam omnibus attentis, perspectum erat Latomo, quod difficultas illa erat ad rem, quam tunc adversus Lutherum et Lutheranos tractabat, prorsus impertinens; tum quod res illa ab ista difficultate minime dependebat, quemadmodum etiam norunt Sacræ Theologiæ tyrones, qui doctissimos aphorismos magni nostri Steyartii *de Pontifice et Conciliis* legerunt.

Accedebat, quod Latomus alibi, signanter de primatu Rom. Pontif. cap. 4, disertissime docebat, *Papam esse supra concilium :* adeoque judicium Papæ esse *supremum et sufficientissimum,* de quo supra egerat *de var. quæst. gen.* Ubi notandum primo : quod Latomus disputabat adversus Lutherum, qui ex concilio Constantiensi prætendebat, *Concilium esse super Papam.* Sed Latomus ibidem Lutherum vel ex ipso Concilio Constantiensi convincebat, ostendens, *Papam esse super Concilium.*

Notandum secundo : quod omnia argumenta, quæ Lutherus ex Concilio Constantiensi pro se proferebat; sint illa ipsa eadem, quæ nonnulli hodie ex Concilio Constantiensi producunt, ut negent Papam esse super concilium. Hactenus de Latomo, ejusque loco satis prolixo, nec potuimus eum expedere succinctius, quantumcumque studuerimus brevitati.

Nunc auscultemus nostrum *Ruardum Tapperum*, qui una cum Latomo, anno 1519, gradum Magisterii suscepit; qui etiam jussu *Caroli V* opera *Driedonis et Latomi*, egregia sua censura comprobavit, ut typis publicis ederentur. Hic vir et tantus vir totum nostrum intentum fuse et valide probat atque confirmat ex Scriptura, Traditione, Sanctisque Patribus *Oratione tertia contra Philippum Melancthonem*. Sufficiat hodie brevem unum alterumve locum ex ipso attulisse.

« *Clarissimi hi Patres*, inquit, nimirum Innocent. I, Inno-
» cent. III, Bernardus, Cyrillus, Hieronymus, quos semper ve-
» nerati sunt omnes, *tradunt*, *quisnam fuerit ac sit Catholicæ*
» *atque orthodoxæ Ecclesiæ sensus et consensus*, UT AD ILLAM
» SEDEM TANQUAM ORTHODOXÆ VERITATIS REGULAM (nota ORTHO-
» DOXÆ VERITATIS REGULAM) AC MAGISTRAM, suboriente aliquo hæ-
» retici flatus turbine sit confugiendum » Deinde num. 7 docet : « Romano Pontifici infallibile judicium convenit ratione
» officii et Cathedræ, in qua sedet, et hoc propter promissio-
» nes, eidem a Christo in Evangelio factas. Nam secundum sen-
» tentiam Sancti Hieronymi, ET SECUNDUM PERPETUAM ECCLESIÆ
» OBSERVATIONEM, *hæretici habendi sunt*, *qui* A SOLA CATHEDRA
» PETRI (nota A SOLA CATHEDRA PETRI) damnantur. »

Ergo diserte juxta Tapperum, *Cathedra Petri est orthodoxæ veritatis Regula ac Magistra*, idque *secundum perpetuum sensum et consensum Catholicæ Ecclesiæ;* quodque ideo secundum perpetuam observationem Ecclesiæ, hæretici habendi sunt, qui a *sola Cathedra Petri* damnantur.

Cum autem agatur de hæresi damnanda et vitanda, Ecclesia in hoc perpetuo suo sensu et consensu, perpetuaque sua ob-

servatione errare non potest, utpote *columna et firmamentum veritatis, adversus quam portæ inferi non prævalebunt.*

Restat, ut a particularibus nostris Majoribus procedamus *ad ipsam facultatem Theologicam Lovaniensem antiquam* in corpore et sub juramento congregatam. Et hoc argumentum est omni ex parte irrefragabile, ad probandum hanc esse antiquam et constantem doctrinam nostrorum Majorum, quod Cathedra Petri sit suis in definitionibus Regula Fidei.

Itaque Facultas nostra anno 1544 piissimæ, et vere Austriacæ, Catholicæ, Regiæ ac Cæsareæ jussioni et religioni Caroli V Imperatoris semper Augusti obsecuta, triginta duos edidit articulos, *Religionem orthodoxam, sanctamque fidem nostram respicientes.* Inter quos vigesimus quintus est hic : CERTA FIDE TENENDA SUNT (nota CERTA FIDE TENENDA SUNT) *non solum quæ scripturis expresse sunt prodita, sed etiam quæ per traditionem Ecclesiæ Catholicæ credenda accepimus;* ET QUÆ DEFINITA SUNT, *super fidei et morum negotiis* PER CATHEDRAM PETRI, *vel per Concilia Generalia legitime congregata.*

Hoc articulo plane orthodoxo solemnissime tradit Facultas nostra, quod *certa fide tenenda* sunt tam definita super fidei et morum negotiis *per Cathedram Petri* quam definita per Concilium Generale. Nam disertissime distinguit inter definita per Cathedram Petri et inter definita per Concilium Generale legitimum; proinde juxta Facultatem *Regulæ fidei* sunt tam definitiones Cathedræ Petri, quam definitiones Concilii Generalis.

Quamquam juxta nostros Majores hæc interea, inter utrasque definitiones notanda sit differentia, quod quidem definitiones Cathedræ Petri sint *Regulæ Fidei*, sine Concilio Generali : definitiones vero Concilii Generalis, non sint Regulæ fidei, nisi prius a Cathedra Petri confirmentur. Vide Tapperum supra loco citato num. 7. Is autem hujus Articuli sensus adeo omni sano homini est verus, obvius et naturalis, ut illum considerans præclarissimus Author de libertatibus Ecclesiæ Galli-

canæ, lib. 7. cap. 13. num. 13. sic palam asserere non dubitaverit : « porro Academia Lovaniensis, ita judicium Papæ » reformabile esse non censuit, ut TANQUAM REGULAM FIDEI (nota » TANQUAM REGULAM FIDEI) proposuerat anno 1544. Nam inter » Articulos circa fidem Orthodoxam editos, iste *vigesimus* » *quintus* est : *certa fide tenenda sunt*, etc. » ut immediate supra.

Testimonium quidem hujus Authoris est luculentissimum; sed ne extraneo dumtaxat testimonio valere videamur, habemus præterea testimonium domesticum prorsus ineluctabile. Et hoc est testimonium nostri Martini Rythovii, qui factus est Doctor anno 1556 fuitque Facultati nostræ, quæ articulum edidit, coævus; atque adeo de mente et sententia nostrorum Majorum, qui Facultatem tunc constituebant, instructissimus.

Itaque Rythovius præmemoratum articulum vigesimum quintum, quem Tapperus morte præventus, exponere non potuit, lucidissime sic exponit : « Hoc articulo, inquit, do- » cemur inprimis, duplici principio ad nos derivari doctrinam » Christianæ Religionis, videlicet Scriptura Sacra et Traditione » non scripta. Et siquidem dubitatio aliqua incidat in explica- » tione Scripturarum vel antiqua observatione Ecclesiæ, acce- » dit *principium tertium* (nota *principium tertium*) *videlicet* » *determinatio Sedis Apostolicæ*, nonnumquam quidem con- » vocato Concilio Generali; alias vero *sine tali convocatione.*»

Deinde pergit : «Nunc vero in observationibus Ecclesiarum » et Scripturæ recta intelligentia, vel aliis Ecclesiæ negotiis, » subinde graves quæstiones oriuntur, adjungitur hoc articulo, » *in omnibus talibus inveniendæ* VERITATIS CERTISSIMA REGULA, » (nota VERITATIS CERTISSIMA REGULA) videlicet, DETERMINATIO » SEDIS APOSTOLICÆ ad quam omnes graves causæ sunt exigen- » dæ; et *securos nos facit Scriptura* (nota) *quod citra erro-* » *rem definitura sit judicii veritatem.*

Post hæc sic constanter procedit : « facit autem articulus » mentionem *duplicis definitionis* : nam altera sit IN CONCILIO

» GENERALI : altera, *tantum ex deliberatione et consensu* » *eorum, qui adjuncti sunt* APOSTOLICÆ SEDI *tanquam per-* » *petui consiliarii.* »

Quibus in continuam eorum, quæ dixit, confirmationem ita subdit : « Cum autem *Generalia illa Concilia, rarissima* » *sint et ea egre convocari possint;* obveniant autem *quotidie* » *multa,* quæ *certâ definitione opus habent* : ALIA RATIONE » *Ecclesiæ suæ providit Christus,* ut citra illam convocationem » omnium Episcoporum totius mundi, *facilius,* et tamen ÆQUE, » INFALLIBILITER *in omni proposita quæstione inveniatur* CERTA » VERITAS, videlicet, PER DEFINITIONEM SEDIS APOSTOLICÆ, EX » consultatione et deliberatione Sacri Senatus, qui hujus rei » causa PRÆSIDI adjunctus est. »

At omni attentione et acceptione dignum est, quod paulo post subjungit : « *Utrasque definitiones* (nempe Sedis Apos- » tolicæ et Concilii Generalis) *esse certas et tales, in quibus,* » ABSQUE ULLA INQUISITIONE *inhærere debemus.* »

Tandem concludit terminis his efficacissimis : « *Oportet* » ergo *singulari privilegio munitam esse* EAM PASTORALEM SE- » DEM (nota) IN QUA TOTA ECCLESIA REQUIESCIT ; *et cujus error in* » *definitivis sententiis in Universam Ecclesiam redundaret.* »

Ergo Facultas Theologica Lovaniensis antiqua, juxta Rythovium, hoc suo articulo vigesimo quinto, publice et dogmatice tradit, quod utraque definitio, tam solius Cathedræ, quam Concilii Generalis, sit in omni proposita de rebus fidei quæstione, inveniendæ veritatis *certissima et æque infallibilis regula,* quodque adeo et ideo *certa fide tenenda sint, tam, quæ super fidei et morum negotiis definita sunt per Cathedram Petri, quam quæ definita sunt per Concilium Generale.*

Sane, velle dilucidæ huic expositioni nostri Rythovii adferre lucem, esset velle soli præferre facem.

Rythovio jungimus *Joannem Hesselium;* nec immerito. Hic namque illi junctus fuit in adipiscendo gradu Magisterii anno 1556. Hesselius autem composuit tractatum vere aureum,

quin et divinum, sub titulo : *De Cathedræ Petri perpetua protectione et firmitate.* Porro in hoc tractatu suo omnigenis tum auctoritatibus tum rationibus ubique solidissime adstruit positam et probatam a nobis doctrinam nostræ Facultatis antiquæ, nostrorumque Majorum; et præterea, quod specialem observationem promeretur, planissime destruit utrumque istum vanum ac frivolum hodiernum quorumdam prætextum, scilicet de expectando accessu totius Ecclesiæ per orbem diffusæ, et de expectando judicio Ecclesiæ in futuro Concilio Generali congregandæ.

Verum, ut serviamus brevitati temporis, unus alterve locus Hesselii hodie sufficiet pro omnibus ad ea demonstranda.

Imprimis tractatu citato cap. 3. ita præclare docet Hesselius : *Hæc est*, ait, *maxima* (nota) *fidelium consolatio, qua securi sunt, per Petrum* EJUSQUE SUCCESSORES, SEMPER FIDEI DOCTRINAM *propugnandam atque custodiendam esse ;* SEQUE ERRARE NON POSSE IN FIDE, DUM PETRI CATHEDRAM SEQUUNTUR.

Ergo juxta Hesselium, *Cathedra Petri* EST REGULA FIDEI, *quam, qui sequuntur, in fide errare non possunt.*

Modo videamus utrumque istum hodiernum prætextum jam olim ab Hesselio nostro præoccupatum et præfocatum.

« Si oriatur, inquit cap. 4, *quæstio de fide,* quo quæso res-
» picient idiotæ, ut rectam non deserant fidem? An in totam
» Ecclesiam? » Ecce primum prætextum, quem sic elidit Hesselius : « Sed admodum lata est, inquit, nec facile ac certo
» a quovis perspici potest, quænam sit ejus per diversissima
» loca diffusæ sententia, *maxime quum et acerrimi ejus hostes*
» *sese de ea esse jactitent.* »

Prosequitur immediate Hesselius : « *An expectabunt futu-*
» *rum Concilium?* En alteram prætextum; sed mox eversum.
» Sed in longum, ait, ejus protrahitur congregatio ; summa-
» que cum difficultate convenire videas ex toto orbe in unum
» locum pastores; et ante ejus definitionem, non pauci mo-
» rientur anxii, quid sequi debeant. »

Tum subnectit : « Hæc tamen non eo quis rapiat, quasi to-
» tius Ecclesiæ sententia et Concilii definitio non esset certa,
» aut utilissimum, saluberrimumque sit eam nosse; sed quia
» Christus, *non ad hæc sola* exurgente quæstione nos respi-
» cere voluit. *Imo jam dictis et plerisque aliis incommodis*
» *benignissime remedium providit Christus, dicens nobis,*
» *quod pro Petro oraverit, ut a fide non deficiat, omnes-*
» *que fratres suos consolidet.* » Hactenus Hesselius, nec potuit sapientius.

Ergo, juxta Hesselium, præter hæc duo, nimirum totius Ecclesiæ diffusæ sententiam, et Concilii Generalis definitionem, tertium est, nimirum definitio solius Cathedræ Petri, in quam omnes respicere debemus in recipiendis rebus fidei, Christo ita benignissime providente, in maximam fidelium consolationem, qua securi sumus, nos errare non posse in fide, dum Petri Cathedram sequimur.

Rursum Facultas nostra anno 1588 in corpore et sub juramento congregata, summo Pontifici exhibuit hanc suam unanimem professionem, ratione justificationis seu defensionis celeberrimæ suæ Censuræ : « quæcumque, inquit, a nobis
» hic dicta sunt, totamque sententiam ac disputationem in hoc
» argumento nostram, *Apostolicæ Sedi, tanquam Ecclesiæ*
» *totius Magistræ,* prout par est, *semperque fecimus,* toto
» cordis affectu ac devotione submittimus, gratissimo animo
» suscepturi *quidquid* hac in causa decernendum, præseri-
» bendumque censuerit; EJUS VOCEM AC DEFINITIONEM (nota)
» NON SECUS ATQUE A BEATI PETRI CATHEDRA ET SPIRITUS SANCTI
» PER EAM LOQUENTIS ORE *profectam,* obedienter reverenterque
» suscepturos esse profitentes : ut *tota intelligat Christi Eccle-*
» *sia*, esse *et nos Sedis Apostolicæ filios* (nota) qui ab ejus
» definitionibus ne latum quidem *ungueni, Dei gratiâ,*
» *discedere propositum habemus.*»

Ita Facultas; qua sua professione vere catholica et Facultate Theologica Lovaniensi digna, solemniter et concorditer,

uti filios Sedis Apostolicæ decebat et oportebat, profitetur *definitionem Cathedræ Petri esse vocem Beati Petri, quin et Spiritus Sancti per illam loquentis.* Quid autem eo amplius ad *regulam Fidei* requiri potest aut haberi vel ad adversariis Sedis Apostolicæ?

Facultas vero in hac sua in Cathedram Petri obedientia ac reverentia, orthodoxe secuta est solemnissimam illam professionem, per quam olim Patres Generalis Concilii Chalcedonensis, Sancto *Leoni* Magno acclamabant: *Petrus per Leonem locutus est.*

Ubi notandum, quod sacratissimi illi Patres in Spiritu Sancto legitime congregati, supernum hoc privilegium non attribuebant sanctitati et eruditioni, qua *Leo vere magnus erat;* sed Cathedræ Petri, in qua præsidebat, seu auctoritati et officio Petri, quo pollebat, id est, assistentiæ Spiritus Sancti, Beato Petro, ejusque in Cathedra successoribus, Romanis Pontificibus, ne deficeret eorum fides, a Christo impetratæ. Et ideo Concilium synodicâ sua ad Sanctum Leonem epistola; illum vocat *fidei custodem et vocis Beati Petri omnibus constitutum Interpretem.*

Unde quamdiu permanebit Cathedra Petri, permanebit autem usque ad consummationem sæculi, tamdiu semper personabit in Ecclesia Dei, nec præteribit unquam verbum hoc: *Petrus per Pontificem locutus est. Quoniam*, ut tradit Beatus Chrysologus, *Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem* (1).

Cæterum circa prælaudatam Facultatis nostræ professionem nullatenus negligenda est circumstantia hæc: videlicet, quod eidem subscripserint, prout expressis nominibus Fasti nostri Academici fol. 371 testantur, duodecim præclarissimi Sacræ Theologiæ Magistri; quorum omnium primus fuit, noster *Michaël Baius.* Sed nec noster *Jansenius Iprensis*, nomen suum

(1) S. Chrysol ad Eutych in I p. Act. Conc. Chalced.

in hoc laudabili nostrorum Majorum numero desiderari passus est. Etenim ipse, die 9 octob. anno 1617, pro prima ad gradum doctoralem responsione, in hac Schola nostra, nedum coram tota Facultate Theologica, verum etiam tota Universitate Lovaniensi palam propugnavit *Theses theologicas*, quarum titulus erat : *De Regulis Fidei.* Quæstio Theologica erat : *Quæ sint Regulæ fidei?* Inter propositiones, ex Sacra Scriptura præmitti solitas, una erat hæc : *Tu es Petrus et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth.* 16. Conclusio prima inter alia statuebat : *Regula nostræ Fidei est Verbum Dei, quod tamen externas Regulas non excludit.* Secunda conclusio inter alia sustinebat : *Externæ Regulæ* (Fidei) *sunt Pontifex, Concilia, Ecclesia.*

Tres igitur *externas Regulas fidei* palam asserebat Jansenius : nempe *Pontificem*, *Concilium*, *Ecclesiam.* Tum procedens ad primam externam Regulam Fidei sive ad Romanum Pontificem, sic doctoraliter, doctrinaliter et indubitanter tradit : *Romanus Pontifex Supremus est omnium de Religione controversiarum judex,* CUJUS JUDICIUM RECTUM, VERUM ET INFALLIBILE EST, CUM UNIVERSÆ ECCLESIÆ ALIQUID SUB ANATHEMATE TENENDUM ESSE DEFINIT. Ita *Jansenius* profecto non *Jansenista*, quippe catholicam et orthodoxam suorum Patrum ac Majorum doctrinam constanter tuetur in hoc, quod judicium seu definitio Romani Pontificis Universam Ecclesiam, id est ex Cathedra Petri fidem et mores docentis, *sit Regula Fidei,* eaque recta, vera et infallibilis.

Quo Romano Catholico dogmate in antecessum simul et semel evertit damnatum jam toties per Cathedram Petri, seu Sedem Apostolicam, *Jansenismum* et ex eo natum hodie *Quesnellismum.*

Cæterum, quia tempus urget, licet ex præallegatis nostrorum Majorum doctrinis clare habeatur, quod definitio solius Cathedræ Petri, sine Concilii Generalis ope, sit *Regula Fidei*, etiam *antecedenter ad accessum Universalis Ecclesiæ*; interest

tamen omnino, ut hoc ultimum, vel ex solo articulo 21, quem nostra Facultas, supradicto anno 1544, inter alios *tanquam orthodoxum* edidit, paucissimis stabiliamus.

Articulus autem vigesimus primus sic habet : *Firmâ fide tenendum est, unam esse in terris, veram atque Catholicam Christi Ecclesiam, eamque visibilem, quæ ab Apostolis fundata, in hanc usque ætatem nostram perdurans,* RETINET ET SUSCIPIT QUIDQUID DE FIDE ET RELIGIONE TRADIDIT, TRADIT ET TRADITURA EST CHATHEDRA PETRI, SUPER QUAM ITA A CHRISTO SPONSO SUO EST ÆDIFICATA, UT IN HIS, QUÆ FIDEI SUNT ET RELIGIONIS, ERRARE NON POSSIT.

Præcipua hujus articuli dogmata, ad rem præsentem pertinentia, paulisper applicemus, et rem totam habebimus confectam.

Imprimis articulus agit *de Ecclesia Catholica*, atque adeo de universali, *quæ ab Apostolis fundata huc usque perdurat.*

Tum dicit : quod *Ecclesia Catholica retinet et suscipit quidquid de fide et religione tradidit, tradit et traditura est Cathedra Petri.*

Revera, quot verba, tot pro nobis argumenta. Enimvero quando dicit articulus, *retinet et suscipit* QUIDQUID, nihil excipit, nullam excipit definitionem, nec ullius hæresis seu antiquæ seu novæ damnationem; sed docet, quod Ecclesia Catholica, sine exceptione, retinet et suscipit, quidquid de fide et religione tradidit, tradit et traditura est Cathedra Petri.

Pergamus : dum vero dicit articulus, *tradidit, tradit et traditura est* Cathedra Petri, patenter enunciat, quod Cathedra Petri in tradendis et proponendis Ecclesiæ Catholicæ seu universali rebus fidei et religionis sit sempiterna *Regula Fidei*, adeoque usque ad consummationem sæculi, nimirum quamdiu perdurabit Ecclesia. Probatur : nam *tradidit,* significat *tempus præteritum; tradit præsens; traditura est, futurum :* proinde *omne tempus* manifeste significatur.

Dum autem Articulus subjungit : *Cathedra Petri, super quam ita a Christo Sponso suo est ædificata Ecclesia Catholica, ut in his, quæ fidei sunt et religionis, errare non possit*, totam rem nostram evidenter absolvit.

Nam ultima hac periodo sua diserte tradit, quod Ecclesia Catholica suam illam inerrabilitatem habeat a Cathedra Petri; nullatenus vero, quod Cathedra Petri suam inerrabilitatem habeat ab Ecclesia. Idque *ideo,* quia Ecclesia *ita* a Christo ædificata est super Cathedram Petri, non autem Cathedra Petri super Ecclesiam.

Sicuti igitur, natura rei hoc exigente, fundamentum tribuit firmitatem ædificio, et non ædificium fundamento, sic et Cathedra Petri, quæ ex instituto divini et sapientis illius Architecti Christi Domini primum fundamentum est, totam soliditatem præbet Ecclesiæ; non autem Ecclesia, quia ædificium est, illam dat Cathedræ Petri.

Unde ex doctrina hujus Articuli omni sanæ menti perspicuum fit, quod definitiones Cathedræ Petri non ideo sunt Regulæ Fidei falli nesciæ, quia consensus Ecclesiæ eis accedit; sed quod ideo consensus Ecclesiæ eis accedit, quia prævie sunt tales. Prius enim oportet quod Ecclesia agnoscat rem esse certam, quam ei consentiat. Unde Ecclesia illo suo consensu seu accessu certitudinem in definitionibus Pontificiis non efficit, sed agnoscit; et ideo illis consentit seu accedit. Ita ut ille consensus seu accessus Ecclesiæ signum quidem sit certitudinis in definitionibus Apostolicis, non tamen illius certitudinis causa.

Et hæc quidem omnia latius ex nostris Majoribus demonstraremus, ac confirmaremus, atque ea dein applicaremus apostolicæ et dogmaticæ Constitutioni, per Clementem XI, felicis recordationis, editæ, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius;* sed lapsus temporis id hodie nobis invidet. Dicimus, *hodie,* nam opus fusius habemus hac de re compositum et paratum, ac intra breve tempus cum Dei gratia typis publicis donandum, cum solutionibus objectionum hactenus oppositarum. Cujus hæc oratio sit præcursor.

Interea arbitramur, brevi hac dissertatione nostra plane pleneque confici, eam esse certam et indubitatam, antiquam et continuam doctrinam nostrorum Majorum, quod Cathedra Petri in suis definitionibus, sive in definiendis, tradendis et proponendis rebus fidei, morum ac Religionis, sit *Regula Fidei*, etiam independenter ab interventu Concilii Generalis, et antecedenter ad accessum Ecclesiæ Universalis.

Quod sit *norma a fide non devians*, cujus approbatio vel reprobatio est servanda per universum orbem.

Quod sit orthodoxæ veritatis *Regula* ac Magistra, ad quam, suboriente aliquo hæretici flatus turbine, sit confugiendum.

Quod sit in omnibus talibus inveniendæ veritatis *certissima et infaillibilis regula*, in cujus definitionibus absque ulla inquisitione inhærere debemus.

Quod semper propugnet et custodiat doctrinam fidei, ita ut in fide errare non possint, qui Petri Cathedram sequuntur.

Quod *certa fide* tenenda sint, quæ super fidei et morum negotiis definita sunt per Cathedram Petri.

Quod Ecclesia Catholica et universalis retineat et suscipiat, absque exceptione, quidquid de fide et religione tradidit, tradit et traditura est Cathedra Petri.

Quod super Cathedram Petri ita a Christo ædificata sit Ecclesia, ut in his quæ fidei sunt errare non possit.

Quod definitio Sedis Apostolicæ sit vox Petri et Spiritus Sancti per Petri Cathedram loquentis, a qua filiis Sedis Apostolicæ et Ecclesiæ ne latum quidem unguem discedere licet.

Quod judicium Cathedræ Petri in damnandis hæresibus et hæreticis sit rectum, verum, infallibile, competens, sufficiens ac *finale*: quo facto, nullum aliud judicium sit exspectandum ab Ecclesia nec congregata, nec diffusa, sed ad sententiæ executionem procedendum, adversus hæreses quidem, ut ab omnibus pro damnatis habeantur atque vitentur; adversus hæreticos vero, pro eorum salute, si sanabiles sint, vel pro salute aliorum, si remanserint pertinaces.

Denique, quod Cathedra Petri ex promissione Christi munita sit singulari privilegio, propter quod tota Ecclesia in Cathedra Petri requiescit.

Et hæc quidem succincta est recollectio prælaudatæ doctrinæ nostrorum Majorum.

Sed fidelis hic est sermo et omni acceptatione dignus, quo juxta nostros Majores Scriptura nos securos et quietos reddit usque adeo, ut *in Cathedra Petri tota Ecclesia Christi requiescat.* O! utinam omnes, qui de gremio Ecclesiæ Christi se esse profitentur, secuti *hanc ordinatissimam*, ut ait S. Leo, *totius Ecclesiæ charitatem, qua in Petri Sede Petrum suscipit* (1), atque adeo Concilii Chalcedonensis obedientiam, qua *Petrum per Pontificem loquentem* audit, in Cathedra Petri, ejusque definitionibus toti requiescerent! Protinus esset in Ecclesia pax et tranquillitas magna; sic enim Christo, per Pontificem Vicarium suum imperanti, venti et mare obedirent.

Quia vero nonnulli hodie inquieti homines, veritati non acquiescentes, et nunquam Cathedræ Petri contradicendi finem facientes, nolunt in Cathedra Petri requiescere, ejusque definitionibus, ut oportet, obedire; hinc tot sunt in Ecclesia contentiones, scandala, schismata et hæreses.

Nec erit (quod avertat Dominus) horum finis, sed semper in vanum curretur, nisi surgamus omnes et ascendamus ad locum, quem elegit Dominus, id est ad visibilem Cathedram Petri, quæ, ut supra docent nostri Majores, propter promissiones eidem a Christo in Evangelio factas, citra errorem definitura est, et nos doctura judicii veritatem. Cujus proinde judicium sequamur, nec declinantes ad dexteram neque ad sinistram, atque ita in Cathedra Petri tanquam in centro unitatis ac in *Regula* ac Magistra veritatis requiescamus.

Itaque concludimus, et conclusione hortatoria vos alloquimur, genuini Facultatis Theologicæ Lovaniensis discipuli,

(1) S. Leo serm. I Anniv. Assumpt. Concil Chalced. loco supra citato.

Domestici fidei, Filii obedientiæ, utique obedientiæ veræ, quam Romano Pontifici in solemni professione fidei corde et ore spopondistis et jurastis.

Audivistis, quæ præsenti oratione, ex doctrina nostrorum Majorum, *de Cathedra Petri, ut est Regula Fidei,* pro munere nostro vobis tradidimus; nam, ut verbis Sanctorum Hieronymi et Augustini absolvamus, *ita et nobis Majores nostri, et illis sui tradidere Majores* (1). *Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt, quod didicerunt, docuerunt* (2).

Ergo juncti Cathedræ Petri et in ea requiescentes perpetim observate hoc præceptum *Ecclesiastici* (3) : *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis ; quoniam ab ipsis disces intellectum et in tempore necessitatis dare responsum.* »

NOT. 34, pag. 18.

Vid. *Lettre de M. Van Gils, professeur en théologie à Louvain, sur les sentiments de l'ancienne faculté de théologie de Louvain par rapport à la déclaration gallicane de* 1682. Ex ipso auctoris autographo edidi hanc epistolam anno 1834, eamque recusam inveniet lector in Analectis Kalendarii academici 1845, p. 151-168. — Cfr. etiam Steyaertii *Positiones de Pontifice ejusque authoritate, apologeticæ pro facultate S. Theol. Lov., contra obtrectatorem Gallum* (Antonium Arnaldum), Opuscul. tom. I, p. 417 et seq.; d'Aubermont, *Doctrina quam de primatu, authoritate ac infallibilitate Romani Pontificis tradiderunt Lovanienses S. Theol. Magistri, tam veteres quam recentiores, propriis ipsorum verbis ac probationibus expressa, declarationi Cleri Gallicani de ecclesiastica*

(1) S. Hieronymus adversus Lucif.
(2) S. Augustinus Lib. 4. cont. Julian. c. 20.
(3) Eccli cap. 10.

potestate nuper editæ opposita ; Leodii 1682, in-4°; Ejusdem *Mantissa*, ibid. 1683, in-4°; et Nicolai Dubois varia opuscula contra Gallicanam declarationem ea ætate edita.

NOT. 35, pag. 18.

Articuli L, LIV et LX visitationis Universitatis anni 1617 (*Privileg. part. I, p.* 216), hæc statuunt :

» Quoniam Theologica Facultas bene ordinata atque instituta, Virisque doctissimis referta, magnum Ecclesiæ Dei est ornamentum, Fidei Religionisque nostræ robur ac tutamen, Hæreticorum confusio, et contra omnes Ecclesiæ Catholicæ Romanæ inimicos, ac ingruentes errores propugnaculum, unde ex juventutis tam in Fidei doctrina, quam in morum ac curata institutione, uberrimus ad omnem Rempublicam Chrisnam promanat fructus, ad nostram singulariter curam pertinere judicavimus adlaborare, ut in hac nostra Universitate his potissimum temporibus, in quibus hæreses tanta rabie ubique grassantur, eandem Facultatem, quam fieri potest habeamus absolutissimam : ad quem finem hæc subsequentia ordinanda constituendaque censuimus.....

» Hoc autem omnes Sacræ Scripturæ Professores observabunt, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium Sacram Scripturam ad suos sensus detorquens contra eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia (cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum), ac etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sanctam audeat interpretari, prout, *Sess.* 4, sanctissime et prudentissime præfixit *Concil. Trid.*

» Rescindent autem prædicti Professores curiosas, superfluas, nimiumque philosophicas ac minus utiles quæstiones : at eas,

de quibus hoc tempore potissima est cum Hæreticis controversia, dilucidius explicabunt, studebuntque Fidem nostram, non tam philosophicis argumentis, quam Scripturis Sanctis, Patrum testimoniis, et deductis ex his rationibus firmare, ne dum nimium Philosophiæ (quæ ancillare debet) adhibetur, minus Fidei (cujus est intellectum captivare) tribuatur, ac demum in perniciosos ruatur errores. »

NOT. 36, pag. 19.

Epist. ad Titum 11, 7 et 8.

APPENDIX

STATUTA FACULTATIS THEOLOGIÆ LOVANIENSIS(1).

Statuta generalia.

Imprimis statuimus et ordinamus, quod nullum statutum possit condi, aut conditum tolli, nisi per tres facultatis theologicæ congregationes solennes, aliquot diebus inter se distantes, cum expresso articulo de condendo aut tollendo statuto, Bedello Magistros convocante sub juramento. Quodque statutum ejusmodi non possit condi, aut tolli, nisi de consensu duarum partium ejusdem facultatis. Similiter ad interpretationem statuti, quod duæ partes contra tertiam sint concordes : adjicientes quod nemo Magistrorum, etiamsi Decanus facultatis fuerit, præsumat aliquid addere vel diminuere in hujusmodi statutis, nisi secundum formam hujus statuti.

Statuimus et ordinamus neminem, cujuscumque status fuerit, admitti posse ad facultatem, seu ad aliquam in ipsa promotionem, nisi incorporetur Matri nostræ Universitati Lovaniensi, et ejus matriculæ inscribatur, promittatque observare atque defendere cuncta privilegia et libertates facultatis, ad quemcumque statum in ipsa devenerit, ipsamque facultatem in se et Decano cum obedientia revereri, et inter supposita pacem et concordiam fovere et procurare.

Statuimus et ordinamus, ut nullus vitæ inhonestæ vel de aliquo crimine infamis, durante infamia ad gremium facultatis admitti possit, aut in illa ad aliquem honoris gradum promoveri, si admissus fuerit.

Statuimus et ordinamus, ut quodlibet nostræ facultatis suppositum teneatur habere habitum condecentem statui suo vel gradui, et in conversatione honeste se gerere, quemadmodum convenit eminentiæ facultatis.

Statuimus et ordinamus, ut nullus Magistrorum nostrorum

(1) Ex Veteri Cod. MS. in pergam., collato cum alio Cod. MS. Bibliothecæ Acad. Lov. N. 164, in quo titulus sic scribitur : *Statuta Facultatis Theologiæ Lovaniensis Studii, edita per Magistros nostros Regentes.*

conferat alicui testimonium studii in facultate theologiæ, nisi prius constiterit de lectionum frequentatione secundum formam statutorum facultatis.

Statuimus et ordinamus, neminem ad aliquam in nostra facultate promotionem suscipi posse seu admitti, nisi legitime docuerit omnia se ad illum gradum, quem consequi nititur, requisita absque dolo implevisse in hac vel alia notabili Universitate, in qua sufficiens rigor judicio nostræ facultatis circa promotiones et graduum susceptiones observatur.

Statuimus et ordinamus, lectores ordinarios primæ fundationis (1) debere posthac docere a meridie ab hora quarta usque ad quintam; et a prima novembris usque ad primam martii a suis lectionibus ordinariis vacare. Lectores vero aliarum fundationum prout sequitur : in Scriptura quidem Sacra docebitur more solito ante meridiem ab hora decima usque ad undecimam; sed in prima et tertia partibus Summæ Sancti Thomæ etiam ante meridiem, ac in æstate quidem ab hora septima usque ad octavam; sed in hyeme ab octava usque ad nonam. In prima denique et secunda secundæ ejusdem Summæ docebitur post meridiem ab hora secunda usque ad tertiam. Vacantiæ vero æstivæ more consueto incipient, a sexto julii usque ad festum B. Remigii, quo tempore diebus per facultatem constituendis, per Priorem vacantiarum mane inter octavam et novam disputari incipient quæstiones Sententiariorum et Biblicorum, in quibus Baccalaurei argumentari debebunt et ceteri theologiæ discipuli præsentes esse.

Statuimus et ordinamus in his disputationibus, et similibus tam publicis quam privatis actibus, tam Doctores quam Licentiatos ac etiam Baccalaureos diligenter cavere debere ab assertionibus in fide suspectis aut piarum aurium offensivis,

(1) De fundationibus seu canonicatibus Ecclesiæ S. Petri Lov. professionibus Academicis annexis, vide Valerium Andream, op. cit. p. 77. — Octo doctores, qui *Legentes* seu *Regentes* dicebantur, ordinarium facultatis theologicæ collegium constituebant.

et quas facultas concorditer determinaverit non esse communiter tenendas; et si quid tale audierint, id ad facultatem suo tempore referre.

Statuimus et ordinamus, quod præter missam Universitatis in principio ordinarii pro prospera inchoatione lectionum fieri solitam, debeat per facultatem in aliquo Collegio facultatis vel in alio loco placente celebrari una missa in die B. Hieronimi, vel alia per facultatem ordinanda, pro gratiarum actione et salute eorum, qui theologiæ studiosis beuefecerunt, nec non pro salubri sequentis ordinarii inchoatione : cui missæ cum habitibus honestis singula facultatis supposita debebunt interesse. Adjicientes quod tunc coram facultate et studiosis Theologiæ Statuta debeant publicari et legi, ne quis per crassam ignorantiam prætendat excusationem in peccato.

Statuimus et ordinamus, quod Baccalaurei in Vesperiis (1) et Aula doctorali sedeant in mediis scamnis ab utroque latere secundum ordinem suum, post quos Magistri artium et Baccalaurei aliarum facultatum locabuntur. In supremis vero scamnis sedebit Rector cum Prælatis, Nobilibus, Doctoribus, Decano facultatis artium, et superiorum facultatum Licentiatis ac honoratioribus amicis.

Statuimus et ordinamus, ut nulli Cursori vel Baccalaureo liceat eum Doctorem, quem in suum Regentem in principio assumpsit, relinquere, et alium (illo relicto) eligere.

Statuimus et ordinamus, quod facultas theologica ex causis rationalibus poterit in suis statutis dispensabilibus, factis et faciendis, per consensum duarum partium, contra tertiam dispensare.

Statuimus et ordinamus, ut habeatur liber papyraceus, in quo scribantur conclusiones facultatis, nomina Regentium et aliorum discipulorum et tempora promotionum, pro memoria facultatis.

(1) *Vesperias* dicebant ultimum actum ad consequendum doctoris dignitatem, seu disputationem illam quæ a candidato fiebat pridie quam doctoris insignia susciperet.

Statuimus et ordinamus, quod post obitum alicujus Doctoris Theologiæ tenebitur tota facultas ejus exequiis ubicumque intra Lovanium celebrentur interesse, et ad hoc singula sua supposita per Bedellum, saltem in scholis, vocare.

Statuta specialia Cursorum (1).

Statuimus et ordinamus, nullum S. Theologiæ discipulum ad lecturam Bibliorum posse præsentari, nisi prius legitime constiterit ipsum per tres annos aut circiter post suum magisterium in artibus, si secularis sit, vel post licentiam procedendi ad cursum studii theologici a superiore religionis suæ obtentum, si religiosus sit, lectiones ordinarias tam novæ quam antiquæ fundationis et disputationes publicas in scholis audisse. Per hoc tamen non intendimus, quin religiosi possint admitti, dummodo per suos superiores fuerint legitime tanquam idonei missi, et prænominata exercitia, quantum per domesticas lectiones theologicas licebit, diligenter visitaverint.

Statuimus et ordinamus, ut quilibet S. Theologiæ discipulus antequam ad ejusmodi lecturam Bibliorum præsentetur, teneatur semel saltem respondere in vacantiis sub Priore. Atque in suæ responsionis exordio protestationem humilem sub correctione Sedis Apostolicæ et Doctorum facultatis Theologiæ, una cum excusatione suæ insufficientiæ præmittere; quam quidem protestationem atque excusationem facere debebit verbis a facultate præscriptis, et non aliis affectatis, novatis aut peregrinis. Et idem volumus in gratiis agendis ac omnibus actibus in scholis Theologorum faciendis observari, ne inerudita verborum aut compositionis affectatio risum moveat auditoribus.

Statuimus et ordinamus, neminem admitti posse ad respondendum pro tentativa, nisi semel responderit in disputationibus sabbatinis, in quibus etiam Baccalaurei teneantur respon-

(1) *Cursares* dicebantur Theologiæ candidati qui ad *cursum* theologicum explicandum admittebantur. Vid Du Cange, *Glossarium med. et inf. Lat.* verb. cit.

dere et argumentari, durante tempore studii, quoties ad eos ordo recurret.

Statuimus et ordinamus, ut idem ante suam responsionem a deputatis per Collegium Magistrorum in Bibliis et Summa D. Thomæ tentetur, necnon decano et reliquis Magistris, aut ab eis deputandis, libros suos propria manu tam notatos quam scriptos exhibeat, ex quibus conjici possit quod tota Biblia cum Summa D. Thomæ diligenter legerit, ac lectiones ordinarias tam novæ quam antiquæ fundationis audierit. Quod statutum ad Sententiarios ac Licentiandos etiam volumus extendi.

Statuimus et ordinamus, quod quilibet Theologiæ studiosus ad dictam lecturam admittendus a Magistro presente et actum regente per ipsum eligendo, indutus habitu secundum morem sui gradus, collegio Magistrorum desuper congregato præsentetur, et ibidem priusquam admittatur juramenta Cursorum præstet, et de juribus satisfaciat. Ordinantes quod electio Magistrorum regentium per Baccalaureos debeat esse libera, sub hoc tamen moderamine, ut secularis teneatur eligere secularem, religiosus religiosum sui ordinis, et sit aliquis sui ordinis de numero octonario regens; religiosi autem, non habentes Magistrum ordinis sui, eligere poterunt quemcumquæ sive secularæ sive religiosum.

Statuimus et ordinamus quemlibet Baccalaureum ad lecturam Bibliorum sicut præmittitur admissum, librum aliquem veteris aut novi testamenti propria manu scriptum, et ex probatis autoribus diligenter commentatum, in præsentamine ad sequentem actum Decano et reliquis Magistris collegii aut ab eis deputandis præsentare.

Statuimus et ordinamus, quod omnes ejusdem anni cursores, si seculares fuerint, inter se collocentur juxta tempus suæ birretationis; ita tamen quod si plures fuerint concurrentes unius promotionis in artibus, et uno anno biretati, quod tunc servabunt ordinem eis in gradu Licentiæ datum, inchoando annum a die ejusdem licentiæ in artibus et terminando in licentia

anni sequentis; omnes autem foris promoti, qui hic ad Baccalaureatum concurrere velint, sequentur omnes Lovanii promotos ejusdem anni; post seculares, religiosi non biretati sortientur ordinem juxta ingressum in suum ordinem.

Statuimus et ordinamus, principia in Bibliis et 1um atque 2um Sententiarum, sine prejudicio ordinis celebrari posse a festo Bavonis, usque ad festum purificationis B. Mariæ Virginis. Et similiter principia in 3um. et 4um. Sententiarum, a festo Purificationis usque ad finem aprilis et non diutius.

Statuimus et ordinamus quemlibet Baccalaureum durante ipsius in theologia cursu debere lectiones ordinarias tam antiquæ quam novæ fundationis atque disputationes in scholis theologorum modo supra scripto visitare, sub pœna repulsæ a gradu ulteriori.

Statuta Sententiariorum (1).

Statuimus et ordinamus nullum S. Theologiæ discipulum, quantumcumquæ in alia vel aliis facultatibus promotum, posse per saltum ad lecturam Sententiarum promoveri, sine previa lectura Bibliorum, visitatione lectionum et disputationum, responsione tentativa secunda, et ceteris legitimis ad lecturam bibliorum regulariter requisitis.

Statuimus et ordinamus ejusmodi Sententiarium priusquam ad præfatam lecturam admittatur, debere per suum Magistrum præsentem et actu regentem cum habitu suo scholastico modo superius in præsentatione Baccalaurei cursoris statuto præsentari, quem (nisi a pristinis suis meritis notabiliter discessisset) volumus in ordine suæ locationis permanere.

Statuimus et ordinamus, quod occasione *Principiorum* aut *Responsionum vacantiarum* nulli magistrorum quicquam gratuito donetur, aut in conviviis expendatur, salvo quod Decano facultatis *in præsentationibus faciendis* in recompensam laborum donentur decem stuferi.

(1) Candidati qui libris Sententiarum Petri Lombardi studebant. Du Cange, op cit. verb, *Sententiarii*.

Statuimus et ordinamus, quod quilibet principians in Sententiis teneatur in suo principio disputare questionem aliquam concernentem libros, in quibus suum facit principium.

Statuta Baccalaureorum Formatorum.

Statuimus et ordinamus, quod nullus Sententiarius, quem non constat continue in loco studii privilegiati, ubi viget studium Theologiæ, primum et secundum Sententiarum inchoasse, eosque libros per questiones ac solutiones ex D. Thoma desumptas, et secundum methodum Magistri proprio labore absolvisse, necnon ad tonsurum clericalem promotum esse, possit tertium et quartum Sententiarum solemniter incipere.

Statuimus et ordinamus neminem debere censeri Baccalaureum formatum, nisi facto tertio principio.

Statuimus et ordinamus nullum Baccalaureum formatum posse suam Licentiam celebrare, nisi post tempus tertii principii per tres annos studium suum theologicum continuaverit audiendo lectiones et argumentando in disputationibus, necnon tertium et quartum Sententiarum modo suprascripto compleverit, et sub quatuor Magistris de diversis materiis quater responderit. Tempus autem tertii principii volumus intelligi primam martii, circa quam solet fieri præsentatio ad hoc principium.

Statuimus et ordinamus, quod nullus Baccalaureus possit admitti ad respondendum pro forma, nisi prima et secunda vice Decano et facultati supplicaverit, et per eos ad responsionem admissus fuerit.

Statuimus et ordinamus Baccalaureum formatum primo anno sui Baccalaureatus, non posse nisi unam responsionem facere pro forma, et qui primo anno unam fecerit, secundo anno tantum duas, idque notabili tempore inter ipsas intercedente, facere posse.

Statuimus et ordinamus, quod Baccalaurei tam Cursores

quam Formati, teneantur ad requisitionem Decani ejusdem facultatis sermones ipsis assignatos sub pœna dictanda a facultate sine contradictione assumere, dummodo fuerint per sex septimanas desuper præmoniti et requisiti. Festa autem sermonum sunt hæc : omnium Sanctorum, Nativitatis Christi, Pentecostes et Assumptionis B. Mariæ Virginis.

Statuta Licentiandorum.

Statuimus et ordinamus nullum Baccalaureum formatum posse ad licentiam promoveri, donec ea quæ præmittuntur rite compleverit, et per suum Doctorem solenniter (ut supra de præsentatione Baccalaureorum statutum est) præsentatus fuerit et admissus.

Statuimus et ordinamus neminem alicujus Doctoris offensorem, priusquam Doctorem offensum judicio facultatis placaverit, posse ad licentiam vel ad aliquem alium gradum admitti; talemque offensorem debere juxta qualitatem offensæ in postpositione sui loci vel suspensione gradus, aut alias juxta arbitrium facultatis puniri.

Statuimus et ordinamus quemlibet Licentiandum in die suæ licentiæ in scholis decenter ornatis debere licentiam recipere, et præsentibus invitatis honestas chirotecas, juxta facultatis discretionem, distribuere.

Statuimus et ordinamus, ut quilibet Licentiandus priusquam licentietur, ad aliquem sacrum ordinem sit promotus. Licentiatum vero ad apicem Doctoratus anhelantem non posse alibi quam in hac universitate insignia magisterii suscipere, et ad hoc per juramentum in congregatione facultatis, priusquam ad Licentiam admittatur, præstandum sese solenniter obligare, nisi ex causa rationabili a duabus partibus dispensetur, ut hoc juramentum non præstet.

Statuimus et ordinamus, quod Licentiatus in hac facultate studii Lovaniensis promotus præcedet licentiatum adventi-

cium in prærogativa loci et honoris. Quod statutum ad Magistros artium, Baccalaureos et Doctores theologiæ extendimus. Non tamen intendit facultas per hoc derogare privilegio Duacensium, salvo quod sint extremi in suo cursu, et per rigorem promoti.

Statuta Doctorandorum.

Quia in Sacræ Theologiæ Magistro requiritur eximia eruditionis præstantia et insignis totius vitæ integritas, ideo statuimus et ordinamus, quod Licentiatus apud facultatem supplicare debeat, ut ad aulam magistralem gratiose admittatur, et dies illi assignetur. Et statuit facultas, quod posthac ad unum eundemque actum magistralem unus tantum, aut ad summum duo simul admittantur.

Statuimus et ordinamus, quod si contingat aliquem supplicantem pro gradu magisterii vel admissione ad regentiam aut emolumentorum participatione repulsam pati, vel non concorditer admitti, ut eo casu quilibet Magistrorum regentium teneatur suam et cujuscumquæ alterius deliberationem secretam tenere, sub pœna perjurii.

Statuimus et ordinamus, inter diem admissionis Licentiati ad aulam Magisterii et inter diem aulæ ipsius, debere interesse spatium duorum mensium, ut interim tam Doctores quam Baccalaurei possint se de agendis præparare, nisi forte supplicans eos citius possit habere paratos.

Statuimus et ordinamus, quod Licentiatus, ut præmittitur admissus, intra decem dies post suam admissionem teneatur Præsidenti suo exhibere conclusiones per se disputandas, et de Doctore et de Baccalaureis in vesperiis et aula ad questionem expectatoriam et tentativam responsuris, sibi providere. De Doctore vero quæstionem vesperialem proposituro, aliisque qui in vesperiis et aula argumentari vel respondere habent, manebunt seniores in sua preferentia juxta antiquam consuetudinem.

Statuimus et ordinamus, quod aula doctoralis una cum vesperiis sit in die festo præcedente per cedulas patentes intimanda. Et quod prælati ac Doctores, aliique viri notabiles ad hujusmodi solennitatem invitati, in suis domibus vel hospitiis, per Bedellum virgam celebrem præferentem, honestis personis comitantibus, die præcedenti invitentur.

Statuimus et ordinamus vesperias modo infra scripto debere celebrari : primo quidem, post prandium circa horam tertiam, M. N. Præsidens et vesperiandus cappa scholastica domi induti honestis personis concomitantibus scholas intrabunt, deinde Præsidens cathedram magistralem decenter ornatam ascendet : in cujus situ opposito ipse vesperiandus habitu sui Baccalaureatus consueto indutus, una cum Baccalaureo ad questionem expectatoriam responsuro sedebit ; deinde Præsidens illi Baccalaureo suam questionem disputatione proponet, ad quam ubi responderit, tunc contra principalem ejus conclusionem replicabit. Quo peracto, bedellus ad jussum Præsidentis præfatum vesperiandum a loco suæ sessionis humilioris ad sedem altiorem in eadem parte sedere faciet. Et tunc aliquis e Magistris quæstionem symbolicam decenter exponet : post quam utrimque disputabit quæstionem theologicam, et Domino vesperiando determinandam committet. Quam quæstionem idem vesperiandus per tres conclusiones determinabit, quas dictus Magister terminorum interpres cum duobus aliis Magistris ad replicandum deputatis postea argumentis impugnabunt. Et his expeditis D. Præsidens per orationem, quam habebit, sine gratiarum actione vesperias finiet.

Statuimus et ordinamus solennitatem aulæ doctoralis sic debere institui. Primo quidem circa horam octavam ante meridiem, D. Magistrando cum suo Præsidente, ut prædictum est, induto, et Bedellis virgas Universitatis et facultatis præferentibus, scholam sicut præfertur tapetis ornatam, indutus habitu doctorali dempto pileo intrabit. Deinde ante ascensum cathedræ pileum magistralem a suo præsidente authoritate fa-

cultatis in capite suscipiet, per hanc formam : *Authoritate Matris meæ facultatis Sacræ Theologiæ impono capiti tuo pileum magisterii, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Post hoc in loco Præsidentiæ magistralis eminentiori idem novus Doctor, habita brevi oratione, quæstionem Theologicam cuidam baccalaureo ab aliquo honesto juvene coram se surrecturo proponi faciet, ad quam ubi baccalaureus responderit, tum novus Magister contra responsionem replicabit. Quo peracto descendent e sedibus suis duo Magistri ad hoc designati, qui singuli per mediam horam de fructuoso aliquo argumento declamabunt, et post illos, duo alii similiter; in qua re salva semper senioribus manebit præferentia, quibus absolutis actus scholasticus finem habebit. Tuncque novellus Doctor post Rectorem et Prælatos, ante suum Præsidem una cum invitatis, præcedentibus bedellis et instrumentis musicis per medium ecclesiæ Collegiatæ D. Petri (in qua ad altare B. Mariæ Virginis nummum offeret) ad locum convivii revertetur, ubi magnifice et honorifice cunctos invitatos reficiet.

Statuimus et ordinamus ad prandium doctorale invitari debere Rectorem, Cancellarium, Conservatorem et alios Prælatos, cum Prætore Civitatis, insuper omnes superiorum facultatum Doctores, cum Decano facultatis artium, duobus Burgimagistris, Receptore Principis, cum Receptore Statuum Brabantiæ, Licentiatis nostræ facultatis, et quatuor Regentibus pedagogiorum : et poterit Præsidens præterea unum atque alterum, sibi placentem, juxta morem antiquum, invitari facere.

Statuimus et ordinamus pro dicta solennitatis conclusione, quod Doctor novellus debet die proximo legibili lectionem primam suam facere, et post hujusmodi lectionis principium quæstionem ab eo in vesperiis disputatam resumere, et argumenta contra eam facta et prius non satis dissoluta plenius explicare, ac deinceps ad gratiarum actiones cunctis suis benefactoribus, primo cœlestibus deinde terrenis, cum beneficiorum notabilium commemoratione reverenter assurgere.

Statuta Magistrorum.

Statuimus et ordinamus nullum Doctorem dumtaxat titularem, seu bullatum, aut per saltum extraordinarium promotum, debere aut posse recipi ad nostræ facultatis magistralem honorem et consessum : poterit tamen ad honorem illius gradus admitti, ad quem per rigorem examinis in Universitate se docuerit esse promotum.

Statuimus et ordinamus quemlibet Doctorem ordinarie et per rigorem examinis in curia Romana, concilio generali vel aliqua universitate promotum, ad honorem Doctoris posse recipi post legitimum talis promotionis documentum.

Statuimus et ordinamus quod (excepta lectione de resumptis qua aula magistralis concluditur) nemo poterit cathedram magistralem lecturus ascendere, nisi Theologiæ magister ad concilium facultatis receptus, et ad legendum per eamdem admissus.

Statuta Regentium.

Statuimus et ordinamus nullum Doctorem censeri in nostra facultate regentem, nisi ad generale Universitatis consilium et speciale nostræ facultatis collegium legitime receptum, et pro majori parte anni residentem, ac onera facultatis pro sua qualitate et ordine sustinentem, addentes solos Magistros Regentes posse in actibus baccalaureorum præsidere.

Statuimus et ordinamus, quod nullus Magistrorum Collegii participabit in emolumentis ex promotione suppositorum facultatis provenientibus, nisi postquam ad unum annum integrum immediate precedentem continuo rexerit in facultate, juxta formam præcedentis statuti.

Statuimus et ordinamus, ut de collegio Magistrorum legentium et regentium non sint plures quam octo emolumentorum participes, e quibus ubi quispiam defecerit, in festo

Hyeronimi proximo alius admittetur ad participationem emolumentorum; salvo tamen semper statuto quod disponit, quod nullus Magistrorum collegii participabit, nisi postquam per unum annum integrum rexerit in facultate, qui habuerit ad minus duas partes reliquorum de collegio existentium contra tertiam : in qua admissione volumus haberi rationem Magistrorum in Theologicis scholis legentium, similiter religiosorum ejus ordinis in quo viget studium Theologiæ, ad eum finem ut studiosi illius ordinis aliquem sui ordinis magistrum habeant qui eos utiliter in suis responsionibus dirigat et eorum actibus præsit : item aliorum Magistrorum qui, præsidendo aut disputando, judicio collegii notabiliter studium Theologiæ promovere comperientur.

Statuimus et ordinamus nullum quantumcumquæ rigorose in hac Universitate vel alia promotum debere aut posse recipi ad collegium magistrale, nisi judicio ejusdem collegii visus fuerit honori et tranquillo regimini facultatis convenire.

Statuimus et ordinamus, quod si contingat præbendam aliquam, vel curam S. Petri Lovaniensis cui lectio Theologica est annexa, per Magistratum Lovaniensem conferri alicui, qui non fuerit de facultate Theologiæ, non admittatur talis ad legendum publice in scholis Theologorum, nisi prius admissus fuerit ad concilium facultatis.

Statuimus et ordinamus, quod nemo Magistrorum facultatis debeat habere vocem definitivam in promotione suppositorum facultatis, nisi actu Regens, neque in emolumentis inde provenientibus participabit.

Statuimus et ordinamus unum Regentem cum alio non posse in lectura ejusdem libri convenire, ac in actibus et disputationibus publicis debere se a vaniloquio et rixis continere, ne mores inexemplares Doctorum contemptum pariant in animis discipulorum.

Statuimus et ordinamus Doctorum lectiones debere esse juxta cujusque institutum ; et qui non habent certum institu-

tum, juxta textum biblicum aut Summam D. Thomæ, aut controversias, aut casus conscientiæ, idque non memoriter, propter periculosum linguæ lapsum in negotio fidei, nec in foliis dissolutis, sed in codice integro, proprio studio legentis elaborato.

Statuimus et ordinamus, quod de quolibet ordine religiosorum sit tantum unus Magister Regens, poterit tamen facultas ex magna et rationabili causa duos unius ordinis admittere, ita tamen quod in quolibet aliorum ordinum præter illum unum ordinem non sit nisi unus Regens, et per hoc etiam non contingat plures esse religiosos Regentes quam seculares.

Statuta Decani.

Statuimus et ordinamus Decanatum debere durare spatio dimidii anni, ut in congregatione Universitatis, quæ fit pro Rectore eligendo, semper novus eligatur Decanus, et similiter eligatur intrans et Judex appellationum; quorum omnium electio sit libera ex solis Magistris facultatis non respiciendo ordinem inter se, ita tamen ut unus et idem non oneretur duobus officiis si nolit; et ut Decanus non eligatur nisi ex octo Regentibus.

Statuimus et ordinamus, quod si contingat Decanum absentem esse, regentiam dimittere, aut in totum recedere ante tempus quo Decanus mutari debet, aut si aliquid sit tractandum quod ipsum Decanum concernit, senior Magister Regens tenebitur Decani vices, sub eisdem quibus Decanus legibus, supplere; et in congregationibus tam Universitatis quam facultatis, qui illic inter comparentes senior Regens fuerit. Onus vero Judicis appellationum tenebitur quisque per se facere, vel cum benevolentia in locum suum, cum absens vel impeditus fuerit, subrogare.

Statuimus et ordinamus, quod soli Doctores possunt esse de collegio Regentium facultatis, quorum unus tanquam deca-

nus præsidebit, quem nolumus aliqua præminentia loci gaudere præ cæteris, nisi dum facultati congregatæ præsidebit. Ad officium Decani pertinebit facultatem per ministerium Bedelli, etiam ad unius tantum Magistri requisitionem, plenarie, nemine prætermisso, ne illo quidem, cujus negotium ibidem tractandum erit, convocare; et tenebitur a pluralitate deliberationum concludere, nisi ubi statuta aliter disposuerint. Ejusdem Decani erit, facultatis in Universitate deliberata referre, libros statutorum et conclusionum custodire. Insuper de sermonibus suo tempore per Baccalaureos faciendis, et de Priore vacantiarum tempestive providere. Et conclusiones facultatis debite executioni mandare, nec utetur titulo Decani aut sigillo facultatis, nisi ex conclusione ejusdem.

Statuta Bedelli

Statuimus et ordinamus, quod facultas proprium Bedellum habeat, qui ad jussum Decani habebit congregationem Magistrorum indicere, actus scholasticos et ecclesiasticos ejusdem et cessationes ab eisdem publicare, et virgam ante promotos ad gradus in suis solenniis præferre.

Statuimus et ordinamus, quod Bedellus non poterit sine fidejussione et cautione sufficienti virgas facultatis custodire. Quas virgas tenebitur simul cum suo officio de anno in annum in die B. Hyeronimi facultati resignare, ut si bene servierit, possit denuo ad suum ministerium assumi, sin minus alius eligi.

Statuimus et ordinamus, quod Bedellus debeat esse vir honestus, et in sermone latino expeditus, et notarius; qui non recipietur a facultate, nisi fuerit matriculæ Universitatis inscriptus.

Statuta jurium solvendorum.

Statuimus et ordinamus, quod Bedellus pro stipendio laborum suorum habeat a quolibet discipulo Theologiæ usque ad

Licentiam in singulis quatuor anni temporibus 1 st.; item a quolibet Baccalaureo biblico in suo principio, et a quolibet Sententiario etiam in suo principio, unum florenum de 20 st.; a quolibet principiante in tertium et quartum Sententiarum, et similiter a quolibet respondente in Forma in qualibet responsione quatuor st.; a quolibet Licentiato duos florenos R. aureos de 28 st.; et a Doctore novello pro veste quatuor similes florenos R. aureos.

Statuimus et ordinamus, quod cujuslibet Doctoris residentis et ordinarie scholas visitantis minister de singulis Baccalaureis, tam Biblicis quam Sententiariis, habeat 2 st.; a Licentiatis vero et Doctoribus 4 st. consimiles. Ita tamen quod hoc statutum dumtaxat ad unum unius Doctoris ministrum extendatur.

Statuimus et ordinamus, quod Prior vacantiarum in sui laboris solatium habeat a facultate pro quolibet responsali duos stuferos et Bedellus pro suis laboribus a quolibet 1 st. Responsales vero ad nullas expensas prandii in die suæ responsionis (prout antea consuetum fuit) voluit facultas obligari.

Statuimus et ordinamus, quod quilibet Baccalaureus principiaturus, tam in Bibliis quam in primum et secundum Sententiarum, solvat in suo principio ad manus Bedelli sex aureos R. facientes octo florenos communes et octo st., ex quibus Bedello cedent 20 st. sicut supra dictum est, reliquum vero tradetur ad manus facultatis, consueto more per ipsam distribuendum.

Statuimus et ordinamus, quod quilibet Baccalaureus principiaturus in tertium et quartum Sententiarum, tradat ad manus Bedelli 32 st. ex quibus quatuor st. cedunt Bedello, ut dictum est, residuum vero Magistris de collegio participantibus, qui in actu præsentes fuerint.

Statuimus et ordinamus, quod quilibet Baccalaureus formatus in qualibet responsione sua pro Forma, teneatur solvere ad manus Bedelli tres florenos aureos constituentes quatuor flor. communes et 4 st. Ex quibus 42 st. cedent Præsidenti, 4 st. Be-

dello, ut dictum est, et reliquum inter Magistros Regentes, qui responsioni interfuerint, per Bedellum æqualiter dividetur.

Statuimus et ordinamus, quod quilibet Licentiandus pro juribus licentiæ suæ solvat Domino Cancellario Universitatis duos Philippeos, hoc est, quinquaginta st., pro habente oratione in die licentiæ unum similem Philippeum; pro collegio Magistrorum duodecim flor. de 28 st.; pro communibus oneribus facultatis tres similes aureos, et pro Bedello duos.

Præterea quilibet Licentiatus, priusquam vesperietur, solvet Magistro suo Præsidenti, sub cujus alis et protectione militavit, triginta flor. R. de 28 st. alias 40 juxta reformationem, de quibus reservabit suus Præsidens, loco vestium sibi debitarum et pro laboribus suis, decem flor. R.; alios quoque decem tradet aliis Magistris de collegio inter se dividendos. Reliquos vero decem ipse Præsidens simul cum aliis Magistris æqualiter participabunt : insuper Magistro seu Doctori proponenti et exponenti terminos ac primo loco argumentanti in vesperiis unum ducatum aureum de 11 st. et unum florenum Rhenensem de 28 st., et utrique Magistrorum argumentantium in iisdem vesperiis unum Rhenensem aureum de 28 st. nec non cuilibet quatuor Magistrorum in aula sua magistrali declamantium unum Leonem aureum solvere tenebitur de 14 st. Et nihilominus in eadem sua aula obligatur Domino Cancellario et singulis Doctoribus facultatis nostræ ad birretum duplum de scarleto, de triginta quinque st.

Statuimus et ordinamus sine præjudicio privilegii Duacesium, quod quilibet Doctor extraneus, priusquam recipiatur ad facultatis gremium, teneatur actum scholasticum publicæ responsionis facere; et pro juribus Magistrorum de Collegio existentium 20ᵗ R. aureos de 28 st. solvere, nec non cuilibet Magistro Theologiæ residenti triginta quinque st. pro pileo. Et nihilominus cum ad collegium Magistrorum et participationem emolumentorum ex promotionibus provenientium admissus

fuerit, solvet pro oneribus communibus facultatis tres flor. R. de 28 st. Et exhibebit eidem unum solenne sui jucundi adventus convivium. Ad quæ duo posteriora, intranans ad idem collegium et participationem emolumentorum admissus tenebitur, priusquam alicujus emolumenti particeps esse possit.

De his quæ debent Baccalaurei biblici legitime docere, jurare vel promittere.

Primo fidem facies per assertionem, quod 25um annum ætatis attingas.

Secundo docebis per testimonia Doctorum, quos audisti, vel fide dignorum condiscipulorum, quod Theologiam audisti tribus annis post magisterium artium, vel licentiam a superiore religionis tuæ obtentam.

Tertio (si secularis sit) docebis per testimonium fide digni Magistri, vel Bedelli facultatis artium, quod sis per rigorem examinis in artibus promotus, et quo anno : Si religiosos sit, exhibebis literas tui superioris, quibus ostendaris tanquam idoneus missus ad studium Theologiæ, et habere licentiam ad gradum Baccalaureatus suscipiendum cum sigillo, et data anni et mensis.

Docebis per assertionem Bedelli, quod satisfeceris de juribus.

Jurabis pacem et concordiam inter omnes theologos, præsertim inter seculares et religiosos, quoad in te est, procurare et conservare.

Jurabis a doctrina circa fidem et mores, quam facultas concorditer determinaverit non esse communiter tenendam, aut quæ prohibita est in Ecclesia, vel suspecta, vel scandalosa, (sub qua declarat facultas comprehendi articulos in bulla Pii Quinti Pontificis prohibitos), abstinere. Et promittes, quod si desuper probabiliter, in hac Universitate habitans, accusatus fueris, præcepto facultatis obedies. Promittes etiam, quod

alios facultati subjectos, quos certo prohibitæ vel suspectæ doctrinæ reos noveris, intra unum mensem Decano vel facultati deferes (1).

Jurabis, quod obediens eris Decano et facultati, quodque privilegia et libertates facultatis defendes quamdiu in hac Universitate resideris.

Jurabis quod gradum lecturæ Bibliorum alibi non repetes.

De his quæ docere vel jurare debent Sententiarii.

Docebis per testimonium Doctorum vel condiscipulorum, quod anno præterito theologiam audisti, et exhibebis commentarium in unum librum veteris Testamenti, et in alium novi quem ipse collegisti.

Memor eris et auscultabis ad ea omnia quæ ante, nempe in primo principio, jurasti et promisisti : quod si non juraveris nec promiseris sicut Baccalaurei Biblici, nunc sic jurabis et promittes. Tunc legentur juramenta Biblicorum et promissiones. Et postea subjicientur sequentia.

Jurabis gradum Baccalaurei sententiarii alibi non repetere. Docebis per assertionem bedelli, quod satisfeceris de juribus.

De Baccalaureis formandis.

Exhibebis commentarium in primum et secundum Sententiarum quem ipse collegisti.

Secundo memor eris juramentorum, quæ præstitisti in admissione ad primum et secundum principium. Quod si nondum ea juraveris neque promiseris, nunc sic jurabis.

Tertio præstabit juramentum professionis fidei juxta bullam Pii Quarti.

Docebis per assertionem Bedelli, quod satisfeceris de juribus.

(1) Hanc deinde juramenti formulam reliquis addidit Facultas : *Jurabis te quinque Articulos per Constitutiones Summorum Pontificum Innocentii X et Alexandri VII, damnatos, damnare : iisdemque Constitutionibus religiosam observantiam præstare.*

De Licentiandis antequam præsententur facultati.

Exhibebis commentarium in 3 et 4 Sententiarum, quem ipse collegisti.

Jurabis, quod gradum Licentiæ alibi non repetes.

Jurabis, quod gradum Magisterii non suscipies alibi quam in hac Universitate, nisi tecum fuerit per facultatem dispensatum.

Si religiosus sit : docebis per literas de consensu superioris ad suscipiendam Licentiam obtento.

Docebis per testimonia Doctorum vel condiscipulorum, quod post Formam tribus annis audisti Theologiam.

Docebis per assertionem Bedelli, quod satisfeceris de juribus.

Memor eris juramentorum et promissorum, quæ præstitisti, dum admittereris ad lectionem bibliorum.

Tunc legantur ei illa juramenta et promissa.

Postremo facies professionem fidei, juxta bullam Pii Quarti.

Promittes insuper quod domino Cancellario studii Lovaniensis et singulis Sacræ Theologiæ Magistris condecentem impendes honorem, et promotioni Theologicæ facultatis dabis operam, ad quemcumque statum deveneris.

Docebis per assertionem fide dignam, quod sis alicui ordini sacro initiatus.

De adventitiis Magistris, Licentiatis et Baccalaureis.

Docebis per literas et fide digna testimonia, quod gradum tuum rite in Universitate alia susceperis, et absque injuria vel offensa ejusdem inde abieris.

Jurabis primum, secundum et tertium juramentum Baccalaureorum Biblicorum.

Juramenta Decanorum electorum.

Jurabis officium Decanatus fideliter et diligenter secundum statuta adimplere.

Jurabis, quod nullas novitates contra statuta sine expresso consensu facultatis induces, et si aliquam corruptelam in statutis aut libertatibus facultatis inveneris, illam facultati fideliter denuntiabis. Et promittes librum statutorum non dare alicui transcribendum, custodiendum aut legendum, nisi solis Magistris facultatis theologiæ, et in die Hyeronimi, cum legenda sunt statuta, dabis Bedello propriis manibus, et ubi lecta fuerint ab eodem recipies.

Juramenta et promissa noviter recipiendorum ad concilium facultatis.

In memoriam revocabis tria juramenta, primo Cursorum, quæ tibi legam.

Jurabis insuper, quod cum vocatus fueris sub juramento ad concilium facultatis venies, et promittes quod alias vocatus, venies, legitimo impedimento cessante.

Jurabis deliberare pro honore et utilitate facultatis, secundum quod noveris et potueris.

Jurabis celare, quæ tibi injunguntur celanda, et alia secreta celare promittes.

Juramenta et promissa Bedelli.

Jurabis, quod fideliter exercebis officium Bedelli secundum statuta.

Jurabis celare, quæ tibi injungentur celanda et alia secreta celare promittes, et promittes quod eris obediens Decano et facultati, et singulis Doctoribus honorem debitum impendes.

Docebis te esse notarium publicum et intitulatum.

INSTRUCTIONES PRO MAGISTERIO IN SACRA THEOLOGIA.

Ex Actis et Statutis Sacræ Facultatis collectæ ac die 18 *januarii* 1712, *item die* 17 *septembris* 1713, *per eamdem comprobatæ* (1).

I.

In primis conformiter ad Statuta Sacræ Facultatis, ad unum eumdemque Actum Magistralem, unus tantum aut ad summum duo simul possunt admitti : debetque inter diem admissionis Licentiati ad Aulam Magisterii et inter diem Aulæ ipsius interesse spatium duorum mensium, ut interim tam Doctores quam Baccalaurei possint se de agendis præparare, nisi forte Supplicans eos citius possit habere paratos.

II.

Die Dominica, quæ Vesperias immediate præcedit, ad valvas Ecclesiæ S. Petri et Hallarum per Bedellum Sacræ Facultatis affigitur scedula impressa tenoris sequentis : *Eximius Dominus ac Magister noster* N. N. *celebrabit per Dei gratiam Vesperias Eruditissimi Domini* NN. *Sacræ Theologiæ Licentiati feria sexta proxima* (vel quando tantum est unus Doctor futurus) *Sabbato proximo, a meridie hora tertia in Scholis Theologorum.*

III.

Quandocumque sunt duo Doctores futuri, semper erunt duo quoque Præsides Actus Doctoralis; quo casu debebit affigi

(1) Plura harum Instructionum capita reformavit Maria Theresia decreto de die 13 februarii 1755. Vide *Annuaire de l'Univ. cath. de Louvain* 1847, p. 168.

scedula impressa, in quo exprimentur nomina DD. Præsidum, qui Vesperias celebrabunt respective feria sexta et Sabbato, prout supra, idque juxta ordinem senioritatis Doctorum futurorum.

IV.

Præses autem cujusque Doctoris futuri ille est, qui præsedit in disputatione pro Currenti, in cujus defectu erit is qui præsedit in disputatione pro Formato; et in hujus defectu erit is, qui præsedit in Actu Licentiæ: quod si nec talis habeatur, tunc poterit Doctor futurus eligere præsidem sibi placentem: sic tamen, ut si sit sæcularis, debebit eligere Præsidem sæcularem; si vero regularis, debebit eligere Præsidem sui Ordinis: quod si præses sui Ordinis non habeatur, tunc in suum Præsidem poterit eligere aliquem e Stricta Facultate sive sæcularem sive regularem alterius Ordinis.

V.

Feria quinta immediate præcedente Vesperias Bedelli Facultatum cum sceptris majoribus et togati invitant invitandos, subsequente eos immediate Doctore futuro in habitu togæ talaris habentis brachia laxiora, cum pileo nigro et epomide Facultatis Artium imposita humero sinistro, si sit sæcularis.

VI.

Doctorem futurum immediate sequuntur bini et bini, octo comites invitantes; e quibus quatuor debebunt esse S. T. Baccalaurei; et alii quatuor poterunt esse non Baccalaurei, debebunt tamen esse S. Theologiæ studiosi, et Albo Theologorum inscripti, Baccalaurei vero sequuntur Doctorem futurum juxta ordinem senioritatis in Baccalaureatu, et non Baccalaurei juxta ordinem senioritatis in inscriptione.

VII.

Si Doctor futurus sit religiosus, tunc præter quatuor Baccalaureos, poterunt esse quatuor alii ejusdem ordinis Religiosi non Baccalaurei, qui tamen debebunt sequi post Baccalaureos.

VIII.

Si sint duo Docteres futuri, tunc quisque assumit pro se octo comites invitantes, prout ante, et sic erunt simul sedecim comites invitantes, servatis rursum ordine, qualitate, ratione ac proportione eorum ut supra, nisi quod tunc incedent quaterni et quaterni: Comites autem sæculares incedent habitu talari cum pileo nigro et epomide Facultatis Artium.

IX.

Si duo Doctores futuri sint Regulares ejusdem Ordinis, tunc præter octo Baccalaureos illo casu assumi poterunt octo comites invitantes ejusdem Ordinis. Si vero duo Doctores futuri sint Regulares diversi Ordinis, puta S. Augustini et S. Dominici, tunc assumi poterunt quatuor Augustiniani et quatuor Dominicani: reliqui erunt octo Baccalaurei, et omnes incedent eo ordine, prout supra dictum est; sic tamen ut si senior Doctor futurus sit Augustinianus, Augustiniani præcedent Dominicanos; si vero sit Dominicanus, Dominicani præcedent Augustinianos. Baccalaurei vero semper præcedent quoscumque non Baccalaureos.

X.

Inter Bedellos digniorem locum tenet Bedellus Sacræ Facultatis; alii vero servabunt locum juxta ordinem Facultatum Jurium, Medicinæ et Artium.

XI.

Die invitationis omnes invitantes debebunt comparere ad horam octavam matutinam apud Doctorem futurum; et si sint duo Doctores futuri, apud Juniorem, qui dabit modestum et breve jentaculum; tunc ad horam nonam omnes vadunt ad seniorem Doctorem futurum, qui postea dabit iisdem modestum et breve prandium: sed invitatione peracta non datur cœna. Omnes autem invitandi tenentur propinare vinum et saccharum Doctori futuro ac comitibus ipsius.

XII.

Doctor futurus cum suis comitibus et Bedellis cavere debet, ne usquam sedeat ad mensam tempore invitationis, sed bene seorsim casu necessariæ quietis. Invitatio autem simul et semel a Bedello Sacræ Facultatis fit tam ad Vesperias quam ad actum ac convivium doctorale, nominando diem, horam et locum eorumdem.

XIII.

Ad prandium doctorale invitari debent: Rector et Cancellarius Universitatis, Conservator *Privilegiorum*, Abbas S. Petri Gandavi, et alii Prælati cum Prætore Civitatis; insuper omnes Doctores superiorum Facultatum, Decanus Facultatis Artium, duo Consules cum duobus Pensionariis hujus oppidi, Receptor Ducis Brabantiæ, Receptor Statuum Brabantiæ, omnes Licentiati S. Theologiæ Lovanii residentes, (si tamen aliqui foris residentes Lovanii existunt, debebunt admitti); Item Regentes quatuor Pædagogiorum, Senior Licentiatus in Jure Canonico, Senior Licentiatus in Jure Civili, Senior in Medicina, et Senior in Facultate Artium, prout etiam in Doctoratibus Facultatum Juris et Medicinæ invitatur Senior Licentiatus in Theologia. Poterit etiam Præses actus præterea unum atque alterum sibi placentem juxta morem antiquum invitare.

XIV.

Ante invitationem ad Valvas Scholæ Theologicæ affigitur scedula impressa tenoris sequentis: *Sacra Facultas Theologica Lovaniensis tenore præsentium monet Eximios Dominos ac Magistros nostros Sacræ Theologiæ Doctores, ut tam in Vesperiis quam in actu ac convivio doctorali compareant induti epomide ac pileo violaceis : similiter Eruditissimos Dominos Sacræ Theologiæ Licentiatos, ut compareant in habitu talari cum pileo magistrali ac induti balteo serico nigro : similiter Sacræ Theologiæ Baccalaureos, ut tam in lectione de resumptis quam in jentaculo doctorali compareant in habitu talari cum pileo magistrali.*

XV.

Die Vesperiarum ad horam tertiam pomeridianam Bedelli Facultatum cum sceptris majoribus vadunt ad ædes Doctoris futuri, qui indutus cappa theologica, concomitantibus octo ipsius comitibus pro invitatione assumptis, iisque indutis veste talari cum epomide Facultatis Artium, deducitur ad ædes Eximii Domini Præsidis : qno similiter induto cappa, addito colobio cum pileo violaceo, ipsum præcedentibus Bedellis, ipsumque immediate ac singulariter subsequente Doctore futuro, procedit ad Scholas Theologicas.

XVI.

Sed duodecim Baccalaurei, qui in disputationibus doctoralibus contra Doctorem futurum fuerunt argumentati, debebunt ab ante et ab initio in Vesperiis comparere induti cappis theologicis : sex sessuri in scamno laterali inferiori circa locum, ubi sedere solet Vacantiarum Prior; et alii sex in scamno laterali inferiori e regione opposito, accepturi idcirco chirotecas præstantiores. Si quis vero ex ipsis argumentantibus unus vel plures desint, eorum locum servabunt

unus vel plures Baccalaurei juxta ordinem senioritatis in Baccalaureatu. Quod similer observabitur, quando unus ex argumentantibus est comes illius doctorandi, qui vesperisatur, quia ipse debebit tunc sedere inter comites.

XVII.

Eximius Dominus Præsidens Scholam ingressus, mox ascendit cathedram majorem, et Doctor futurus sedet e regione in proximo scamno ad finem, ubi solent stare Baccalaurei pro licentia responsuri. Comites autem qui simul invitaverunt, sedent in primo et secundo scamno Baccalaureorum.

XVIII.

Tunc Præsidens Baccalaureo expectanti suam quæstionem disputative proponet, dicens : Doctissimo Domino Baccalaureo expectanti propono quæstionem Theologicam hanc... in cujus utramque partem argumentor : pro parte affirmativa facit... pro parte negativa facit... hanc quæstionem sic breviter et utrimque agitatam relinquo Domino Baccalaureo expectanti latius discutiendam et resolvendam. Baccalaureus autem debebit quæstionem hanc discutere et resolvere per semi-horam ad minus, idque prout sequitur.

XIX.

Baccalaureus expectans, qui sedet in medio primi scamni indutus cappa Baccalaureorum dicit : Proposuit mihi Eximius Dominus ac M. N. Præsidens quæstionem theologicam hanc.., ad quam priusquam respondeam, omnia quæ dicturus sum Sacræ Romanæ Ecclesiæ censuris et Eximiorum Dominorum ac M. M. N. N. judicio lubens submitto.

XX.

Respondeo autem... (non enim habet conclusiones plures

nec impressas, sed unicam, quam prius exhibuerit Domino Præsidi et Dominus Præses vicissim illi sua argumenta et replicas) eamque probo ex Sacris Scripturis, Patribus, rationibus... hæc ubi dixerit, monente Domino Præside, subjungit : Hæc sunt Eximie Domine ac M. N. Præsidens, quæ ad quæstionem mihi propositam dicenda habui, relinquens ea humanitati vestræ probanda vel improbanda.

XXI.

Tunc Dominus Præsidens contra principalem Baccalaurei expectantis resolutionem semel replicabit dicens : Audistis doctam responsionem D. Baccalaurei expectantis ad quæstionem sibi propositam, contra eandem tamen breviter sic argumentor... Baccalaureus expectans repetit : Contra meam resolutionem sic argumentatur Eximius Dominus ac M. N. Præsidens... respondeo... et Baccalaureus tamdiu respondet, donec Præsidens dicat : Placet solutio.

XXII.

Quo peracto Doctor futurus ad jussum Præsidentis per Bedellum monitus ascendit sedem altiorem ad hoc paratam et vestitam tapete, vultu verso ad locum Doctorum Theologiæ.

XXIII.

Deinde Eximius D. Terminorum Interpres, indutus cappa addito colobio cum pileo violaceo, habet orationem symbolicam per semi-horam, et in fine proponit quæstionem theologicam Doctori futuro, disputatque utrimque per modum dubii contra aliquid ex prima conclusione.

XXIV.

Doctor futurus dicit : Proposuit mihi Eximius Dominus ac M. N. Terminorum Interpres quæstionem theologicam hanc...

ad quam priusquam respondeam, omnia, quæ dicturus sum Sacræ Romanæ Ecclesiæ censuris, et Eximiorum DD. ac MM. NN. judicio lubens submitto. Pro ejus autem resolutione præmitto has propositiones... et respondeo per tres conclusiones, in quarum prima quæ habentur, sic probo... Inter probationes primæ conclusionis resolvit dubium propositum; post probationes circiter per semi-horam ad monitionem Eximii D. Terminorum Interpretis dicit : Hæc sunt Eximie Domine ac M. N. Terminorum Interpres, quæ de proposita quæstione dicenda habui, ea relinquens humanitati vestræ probanda vel improbanda.

XXV.

Porro Theses hæ debent esse impressæ et per Bedellum distribui, dum fit invitatio, et unum exemplar affigi ad valvas Hallarum et Ecclesiæ S. Petri, et in iis dies et annus exprimi cum hac subscriptione : *Pro Vesperiis Aulæ suæ Doctoralis ponebat NN. Sacræ Theologiæ Licentiatus in Scholis Theologorum Lovanii.*

XXVI.

Debet insuper Bedellus omnibus Doctoribus venturis ad Vesperias occurrere sceptro in Schola (uti et in die aulæ doctoralis) et dare singulis unum exemplar, et exorientibus tenebris accendere candelas cereas duas a lateribus Eximii Domini M. N. Præsidentis et unam sebaceam, qua idem utatur legendo : item duas cereas impositas candelabris dependentibus e trabe : item duas faces albas ex pura cera in stipitibus ad duo latera scamni infimi Baccalaureorum : quibus etiam reducetur Eximius Dominus Præsidens et Doctor futurus.

XXVII.

Post hæc Terminorum Interpres dicit : Audivistis doctissimam D. Candidati responsionem ad quæstionem ipsi propo-

sitam; ut autem sciatis, quod non tantum noverit vera probare, sed insuper contraria resolvere, proponam unum argumentum contra primam conclusionem... Doctor futurus repetit dicendo: Contra illam partem primæ conclusionis sic argumentatur Eximius Dominus M. N. Terminorum Interpres... Et post unam replicam et alteram dicit: Placebit Eximius Dominus M. N. Terminorum Interpres intelligere mentem respondentis, et si minus satisfactum sit, plenius satisfiet in lectione de resumptis.

XXVIII.

Dein alii duo Eximii Domini MM. NN. argumentantur ordine suo contra secundam et tertiam conclusionem, et Doctor futurus resumit argumenta, dicendo: Contra secundam conclusionem sic argumentatur Eximius Dominus et M. N. atque, uti articulo præcedenti, post unam replicam et alteram dicit...: Dignabitur Eximius Dominus M. N. esse hac solutione contentus, et si minus satisfactum fuerit, plenius satisfiet in lectione de resumptis. Et similiter respondebit ad argumentum contra tertiam conclusionem.

XXIX.

His itaque peractis Eximius Dominus M. N. Præsidens habet primo orationem, deinde Vesperias jocosas. Denique soluta congregatione reducitur domum cum Doctore futuro, et ut non sint tractandi Eximii Domini MM. NN. in cœna, hæc redimi solet. Tum reducitur Doctor futurus, ut num. 26.

XXX.

Porro circa Eximium D. M. N. Terminorum Interpretem, et Eximios DD. MM. NN. argumentantes observandum est, nimirum, quando tantum est unicus Doctor futurus, tunc Terminorum Interpres et Senior Facultatis, qui tunc etiam

primo proponit argumentum contra primam conclusionem, et post ipsum duo seniores facultatis immediate sequentes argumentantur ordine senioritatis contra secundam et tertiam conclusionem.

XXXI.

Quando vero sunt duo Doctores futuri, tunc in vesperiis senioris Doctoris futuri Terminorum Interpres est Senior Facultatis, et duo alii argumentantes sunt duo Seniores Facultatis immediate subsequentes.

XXXII.

In vesperiis deinde junioris Doctoris futuri, Terminorum Interpres est secundus Senior Facultatis, qui tunc etiam primo argumentabitur contra primam conclusionem, et duo alii argumentantes, contra secundam et tertiam conclusionem, sunt tertius et quartus senior Facultatis.

XXXIII.

Debet etiam Doctor futurus sibi providere de Baccalaureo expectante, in vesperiis suis ad quæstionem expectoriam responsuro.

XXXIV.

Dominica Vesperias subsequente Bedellus ad valvas Ecclesiæ S. Petri et Hallarum affigit schedulam hujus tenoris: *Exim. D. ac Magister noster NN. proxima feria tertia ante meridiem hora octava per Dei gratiam celebrabit Aulam Magistralem Eruditissimi Domini NN. S. Theologiæ Licentiati in Scholis Theologorum*: et si sint duo Doctores futuri, una similis schedula impressa affigetur pro duobus cum expressione nominum utriusque Eximii Domini ac Magistri nostri Præsidentis, juxta ordinem senioritatis Doctorum futurorum.

XXXV.

Feria tertia, qua celebratur solemnitas Aulæ Doctoralis, Bedelli Facultatum cum sceptris majoribus et togati hora octava eunt ad ædes Doctoris futuri, et eundem indutum toga doctorali et pileo magistrali nigro ac cappa cum colobio deducunt ad ædes Eximii Domini Præsidentis, subsequentibus Baccalaureis ac aliis comitibus, qui simul invitarunt.

XXXVI.

Hinc Eximius Dominus Præsidens indutus toga doctorali, pileo magistrali violaceo et cappa cum colobio, ipsum sequente Doctore futuro et Baccalaureis ac aliis jam dictis, per Bedellos deducitur ad Scholam Theologorum, ibidemque antequam ascendat cathedram majorem, sedens in sede brachiali imponit Doctori futuro pileum magistralem violaceum corolla viridi ornatum, ipsumque creat Sacræ Theologiæ Doctorem dicendo : *Auctoritate Matris meæ Facultatis Sacræ Theologiæ creo te Sacræ Theologiæ Doctorem et Magistrum, imponens capiti tuo pileum Magisterii, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

XXXVII.

Quando sunt duo Doctores futuri, tunc servatis omnibus jam præscriptis, primum itur ad Doctorem futurum Juniorem, deinde ad Doctorem futurum seniorem, postea ad Eximium Dominum Præsidem Juniorem, tum ad Eximium Dominum Præsidem seniorem, et hinc ad Scholam Theologicam, ibidemque forma jam præscripta creantur Sacræ Theologiæ Doctores per suos respective Præsides ordine senioritatis ipsorum Doctorum futurorum.

XXXVIII.

Post hæc Doctor novellus pileo hoc ornatus primus ascendit

cathedram majorem à latere dextro et Exmius Dominus Præsidens eandem ascendit a latere sinistro, et Doctor novellus sedens ad dexteram Eximii Domini Præsidentis habet brevem orationem, qua finita monet adolescentem ante Cathedram surrecturum, ut proponat quæstionem Baccalaureo actuanti induto cappa et sedenti in medio primi scamni Baccalaureorum, disputando eam utrimque. Ad quam Baccalaureus actuans respondet, præmittendo : *Proposuit mihi Eximius Dominus ac Magister noster Doctor novellus, quæstionem theologicam per honestum hunc Adolescentem utrum... ad quam antequam respondeam, omnia quæ dicturus sum Sacræ Romanæ Ecclesiæ censuris et Eximiorum DD. MM. NN. judicio lubens submitto.* Et in fine dicit : *Hæc sunt Eximie Domine Magister Noster Doctor novelle, quæ de quæstione proposita habui dicenda, relinquens ea maturiori vestro judicio probanda vel improbanda.* Tunc Doctor novellus dicit : *Audistis, quid doctissimus Dominus Baccalaureus actuans responderit ad quæstionem propositam, mei nunc officii est argumentari contra eundem,* argumentatur et semel breviter replicat, et postquam Baccalaureus resolvit et absolvit, dicit : placet solutio.

XXXIX.

Quando sunt duo Doctores futuri, tunc uterque ipsorum sedet in medio cathedræ majoris, nimirum senior ipsorum ad dexteram junioris et senior Præsidens ad dexteram Doctoris Novelli senioris, et junior Præsidens ad sinistram Doctoris novelli Junioris. Senior autem Præsidens censetur is, qui est respective Senior in Facultate, licet foret Præsidens Doctoris novelli Junioris.

XL.

Præterea, quando sunt duo Doctores novelli, tunc solus Doctor novellus Junior brevem habet orationem; qua finita

Doctor novellus Senior (cujus solius est providere de Adolescente quæstionem propositurо et de Baccalaureo actuante ad eandem responsuro) admonebit Adolescentem, ut quæstionem proponat, et postquam Baccalaureus responderit, contra eundem argumentabitur ; reliqua fient, ut ante num. 38.

XLI.

Post hæc duo Eximii Domini Juniores ex quatuor declamaturis (qui quidem quatuor semper sunt quatuor Seniores in Facultate, etiamsi unus ex iis fuisset terminorum interpres) descendunt ex scamno superiori Doctorum Sacræ theologiæ; ita ut qui ipsorum duorum est Senior, intret cathedram infimam versus dextram Doctoris novelli, ad latus ubi sedent Doctores Juris, et Junior versus sinistram ad latus ubi sedent Doctores Theologiæ : qui singuli per mediam horam de fructuoso aliquo argumento declamabunt, nam hora decima uterque deserit cathedram suam, et in eorum locum succedunt duo alii Seniores similiter declamaturi, ita ut Senior illorum sit versus dexteram, et alter versus sinistram, ut jam ante dictum est. Ut autem tempus inter eos æqualiter dividatur, Bedellus debebit habere clepsydram, et declamantes admonere, ut media hora elapsa finiant. Junior autem e quatuor incipit primus declamare, et sic consequenter, debentque quatuor declamantes esse induti cappa cum colobio et pileo magistrali violaceo, finitoque actu doctorali sic induti incedere usque ad Templum S. Petri; ibidemque se exuunt cappa, et induunt epomidem violaceam.

XLII.

Circa horam decimam Bedellus incipit distribuere pileos et chirotecas; et circa undecimam tibicines inflant tibias ante fores Scholæ Theologicæ.

XLIII.

Post orationes declamatas, actus scholasticus finem habet et dissolvitur congregatio, procediturque ad Templum S. Petri ordine sequenti : Nimirum in egressu e Schola Theologica post Tibicines et Bedellos primus præcedit Magnificus Dominus Rector, tum DD. Cancellarius, Conservator, Prælati ac Consules, deinde adolescens et puella gestans ramum honorarium. Hanc immediate sequitur Doctor novellus, et post eum Dominus Præsidens; sed si duo sint Doctores novelli, præcedunt ipsos duæ puellæ, quas tum ipsi immediate sequuntur bini et post ipsos duo Domini Præsidentes simul bini, ita tamen ut Senior Doctor Præsidens vadat ad dexteram Junioris: postea sequuntur Doctores Superiorum Facultatum ordine suo, sic tamen ut Doctores Theologiæ in Actu Theologico præcedant : tum sequitur Decanus Facultatis Artium, S. T. Licentiati, denique invitati aliique amici, prout ipsis visum fuerit.

XLIV.

In Templo Doctor novellus juxta morem antiquum offert ad altare B. M. V. nummum aureum et argenteum, et oblatione facta exuit se cappa, prout et Præsidens et assumunt epomidem violaceam.

XLV.

Ab altari proceditur per ambitum Templi versus altare S. Ivonis, deinde versus altare S. Caroli Borromæi, tunc per portam majorem, quæ forum respicit, ad locum convivii hoc ordine : primo Tibicines, tum Bedelli, post hos puella gestans ramum honorarium; hanc immediate sequitur Doctor novellus et post eum Dominus Præsidens: (sed quando sunt duo Doctores novelli, servatur ordo inter ipsos

et Præsidentes prout jam dictum est num. 43) tum immediate sequitur Magnificus Dominus Rector, DD. Cancellarius, Conservator, Prætor, Prælati, Consules et reliqui, uti jam ante num. 43 prædicto.

XLVI.

In loco convivii Magnificus Dominus Rector benedicit mensæ, et Præsidens ac Doctor novellus præcingunt se in suprema veste et præcedentibus ipsos Tibicinibus ac sequentibus iis, qui deferunt paropsides, sistunt se ante Magnificum Dominum accumbentem mensæ, reverentiam exhibent, ac paropsidibus rite collocatis, circumeunt observantes ne quid desit, et exhortantur convivas ad hilaritatem, sicque faciunt ad singulas varietates ferculorum.

XLVII.

In loco convivii debent affigi desuper schedulæ hæ : In prima mensa locus Magnifici Domini Rectoris, DD. Cancellarii, Conservatoris, Prælatorum, Doctorum Superiorum Facultatum. Et e regione Rectoris locus DD. Prætoris, Consulum, Receptorum Ducis ac Statuum. In secunda mensa, a dexteris locus DD. Licentiatorum Sacræ Theologiæ. In tertia mensa a sinistris locus DD. Amicorum.

XLVIII.

Ut autem, quantum fieri potest, in convivio evitetur omnis confusio sine ullius præjudicio, sequitur ordo sessionis: primo loco sedet Rector, a dextra ejus Cancellarius Universitatis et a sinistris Conservator : Abbates autem partim a dextra, partim a sinistra. Post Abbates a dextra Doctores Theologiæ, Medicinæ et Decanus Facultatis Artium, et a sinistra post Abbates Doctores Utriusque Juris.

XLIX.

E regione Domini Rectoris sedet D. Prætor, et hinc inde ab ipsius latera DD. Consules, DD. Receptores Ducis ac Statuum et duo DD. Pensionarii hujus oppidi.

L.

Absoluto ultimo ferculo Bedellis præcedentibus, DD. Præsidens et Doctor novellus sistunt se ante Magnificum Dominum Rectorem, et Bedellus Facultatis Theologiæ clara voce pronuntiat gratiarum actionem in modum sequentem, vultu verso ad eos quos alloquitur, et exprimendo titulos primarios singulorum; nominantur autem hoc ordine : 1 Rector, 2 Cancellarius, 3 Conservator, 4 Prætor, 5 Abbates, 6 Consules, 7 Doctores Theologiæ, 8 Doctores Juris, 9 Doctores Medicinæ, 10 Receptores Ducis et Statuum, 11 Decanus Facultatis Artium, 12 Licentiati Theologiæ, 13 Regentes Pœdagogiorum. Tunc concludit dicendo : et ad unum omnes Domini mei Præstantissimi Eximius Dominus Doctor novellus et Eximius D. Præsidens (hoc dicitur in plurali numero si sint duo Doctores novelli) agunt immensas gratias Dominationibus vestris de honore et favore sibi hodierna die impensis et exhibitis, rogantes, ut dignemini hoc prandio çontenti habere patientiam et accipere affectum pro effectu, cum ad majora pervenerit (vel pervenerint) et forum melius dederit, lautius et libentius tractabit (vel tractabunt) dominationes vestras.

LI.

Post hæc Magnificus D. Rector agit Deo gratias, sicuti mensæ in initio benedixit. Et post gratiarum actionem Domini recedunt.

LII.

Postera die Doctor novellus pro solemnitatis conclusione lectionem suam primam (quæ de resumptis vocatur) facit ad horam octavam matutinam, ad quam per Bedellum Facultatis Theologicæ deducitur, et post hnjusmodi lectionis initium, quæstionem ab eo in Vesperiis disputatam debet resumere, et argumenta contra eam facta, et prius non satis dissoluta plenius explicare, ac deinceps ad gratiarum actiones cunctis suis benefactoribus, primo cœlestibus, deinde terrenis; cum Beneficiorum notabilium commemoratione reverenter assurgere. Quando sunt duo Doctores novelli Bedellus primo quærit Juniorem, qui tum simul quærunt Seniorem, et ita simul vadunt ad lectionem de resumptis.

LIII.

Post hanc lectionem circa horam nonam præcedente Bedello Sacræ Facultatis et subsequente Doctore novello, ac post ipsum subsequentibus Dominis S. T. Baccalaureis, itur ad jentaculum Baccalaureorum, in quo honeste debent tractari sub cura Exim. Domini M. N. Præsidentis. Duratque hoc jentaculum usque ad medium duodecimæ: et tum ad admonitionem Domini Præsidentis debent omnes mox modeste recedere.

SUPPLEMENTUM AD VALERII ANDREÆ FASTOS DOCTORALES S. THFOLOGIÆ.

Seriem Doctorum S. Theologiæ, qui supremum hunc titulum Lovanii adepti sunt, ab anno 1438, quo prima promotio ad gradum magisterii celebrata est, ad annum 1648 descripsit Valerius Andreas a pag. 87 ad p. 146 in suis *Fastis academicis*, anno 1650 denuo editis. Quæ ab hoc tempore usque ad recentiorem ætatem desiderantur, hoc supplementum complectitur.

Anno 1652 *die* 20 *octobris.*

JOANNES ANTONIUS D'AUBERMONT, ex nobili familia comitum de Ribeaucourt Sylvæducis natus, ordini Fratrum Prædicatorum Gandavi nomen dedit anno 1632, quum vigesimum ætatis annum ageret. Studiis incubuit partim Lovanii partim Coloniæ. His absolutis, Lovanii philosophiam, Calcariæ et Gandavi theologiam moralem, et scholasticam deinde Lovanii docuit, ibique studii generalis apud Prædicatores regens primarius pileum doctoralem suscepit.

Postea difficillimis temporibus Leowardiæ in Frisia missionarii apostolici munere perfungens, juri incubuit, eamque disciplinam privatim docuit. Lovanium revocatus, in strictæ Facultatis professorem assumptus fuit. Fervens erat doctrinæ Thomisticæ defensor; accerimus Apostolicæ Sedis propugnator; ob singularem in dicendo facundiam sæpius præ cæteris delectus ad habendas orationes tum panegyricas tum funebres.

Quum Lovaniensium de Sedis Apostolicæ auctoritate doctrinam scriptis illustrasset, quæsivit ab illo cardinalis Cibo, nomine Innocentii XI, quid pro laboribus Summo Pontifici

gratissimis ab eo desideraret? nihil aliud se cupere aiebat quam apostolicam benedictionem ad bene moriendum.

Obiit Lovanii, apoplexia correptus, die 22 novembris 1686. De ipsius encomiis et scriptis vide De Jonghe, *Belgium Dominicanum*, p. 106, et Echard, *Scriptores Ord. Prædicatorum, tom. II, p.* 709.

Anno 1653 *die* 4 *februarii.*

CHRISTIANUS LUPUS, ordinis S. Augustini, Lovanii defunctus die 10 julii 1681.

Vitam ipsius fuse descripsit Josephus Sabatini, Ravennas, ex eodem ordine et Bibliothecæ Angelicæ Romæ præfectus, quæ exstat in proœmio Scholiorum Lupi ad Acta Ephesini et Chalcedonensis concilii. Eadem recusa fuit in novissima editione operum Lupi, quam typis edidit Thomas Philippini, Venetiis 1724-29, vol. VI in-fol. — Vide Foppens, *Bibl. Belg. tom. I, p.* 170, et *Biographie universelle*, tom. XXV, p. 439.

Anno 1657 *die* 25 *septembris.*

FRANCISCUS FARVACQUEZ, Insulensis, ordinis S. Augustini, obiit Lovanii die 30 julii 1689. Vide Paquot, *Mémoires pour servir à l'hist. litt. des Pays-Bas*, tom. XVIII, p. 86.

Anno 1660 *die* 26 *octobris.*

HENRICUS SCAILLE, Dionantinus, vir clarus eruditione, gratus omnibus animi candore et pacis amore, obiit 15 maii 1689, sepultus in ecclesia D. Petri Lovanii, in sacello S. Caroli Borromæi. Opus reliquit cui titulus est: *Obligatio ac modus administrandi sacramenta tempore pestis.* Vid. Paquot, op. cit., tom. VII, p. 250.

Eodem anno et die.

SIMON SERVATII, vulgo *Vaes*, Beringius in Campinia Leodiensi, in pædagogio Porci philosophiæ palmam adeptus anno 1638, tum aliquamdiu pastorali munere functus in parochiis de Foresto et de Londerzeele, inde Lovanium revocatus philosophiam docuit in pædagogio Porcensi, ac privilegio facultatis Artium canonicus fuit in ecclesia metropolitana Cameracensi. Postea præses seminarii Leodiensis Lovanii, Academiæ rector eligitur anno 1663 et 1667. Fuit etiam canonicus D. Petri et apostolicus ac regius librorum censor. Obiit anno 1672, ætatis suæ anno 52.

Anno 1668 *die* 6 *novembris.*

LAMBERTUS VINCENT, Graviensis in ducatu Gelriæ, primum in scholis Artium locum anno 1643 obtinuit in pædagogio Falconis, ubi et postmodum philosophiam per plures annos professus est. Canonicus ecclesiæ S. Hermetis Rothnacensis, præses collegii Vigliani, bis Academiæ rector, aliisque muneribus auctus, diem clausit extremum anno 1684, sepultus in ecclesia S. Quintini.

Eodem die et anno.

GUMMARUS HUYGHENS, Lyræ natus die 27 februarii 1631, anno 1648 secundum in Artium promotione locum obtinuit. Post annos quatuor ad docendam philosophiam in pædagogio Falconensi vocatur, quo in munere ingenii vi, docendi dicendique facundia, disputandi subtilitate, aliisque præclaris naturæ dotibus quantus aliquando futurus esset in rebus theologicis quasi præludendo ostendit.

Magistralem in theologia lauream adeptus, ab academia pro tuendis ejus juribus et privilegiis ad Clementem X in Urbem mittitur. Legatione honorifice perfunctus, obtentoque brevi apostolico (1673), quo privilegia academica, antehac

per Clementem IX suspensa, restituerentur, totum se deinde contulit ad excolendam theologiam.

Anno 1677 doctori Francisco Van Vianen, Romam profecturo, regimini collegii Adriani VI admotus fuit. Paulo post (1682) canonicatum in ecclesia D. Petri Lovanii obtinuit; præbendam vero, quam diu ante in ecclesia cathedrali Gandavensi adeptus erat, transmisit fatri suo Guilielmo, S. Theologiæ licentiato, viro non minus pio quam erudito.

Anno 1687 inter doctores regentes S. Facultatis adlectus est. Mox vero per edictum regium a muniis in facultate obeundis impeditur, ob suspectam ipsius circa jansenismum doctrinam et factiones academiam tunc perturbantes.

Habebatur Huyghenius scholæ theologicæ decus; in proponendis argumentis et resolvendis difficultatibus adeo erat acutus, ut nihil eo tempore jucundius videretur, quam audire in disputationibus academicis Huyghenium argumentantem et Steyaertium præsidentem, quocum illi fuerunt continua quoad doctrinam *de gratia* dissidia.

Multa typis evulgavit: Observationes theologicas, tom. XIII; Theses historico-theologicas; Conferentias; Methodum remittendi et retinendi peccata; aliaque opera quorum non pauca indici librorum prohibitorum adscripta sunt.

Vivere desiit die 27 octobris 1702. In sacello collegii pontificii sepultus est ante aram, cum hoc epitaphio:

D. O. M.

GUMMARUS HUYGHENS, LYRANUS, S. T. D. INGENIO SUMMUS,
DOCTRINA
ET PIETATE EXIMIUS,
LABORIBUS IN ECCLESIA INDEFESSUS,
PRO VERITATE FORTIS ET CONSTANS,
INTER PERSECUTIONES INVICTUS;
COLLEGIO HUIC PRÆFUIT ANNIS XXVI,
QUIBUS DISCIPLINAM EJUS AD SUMMUM EVEXIT.
OBIIT 27 OCT. MDCCII ÆT. LXXII.
REQUIESCAT IN PACE.

Defunctum oratione funebri, typis edita, laudavit Guilielmus Claes, S. T. D.

Anno 1669 *die* 12 *februarii.*

VINCENTIUS STAYACKERS, Gemertanus (quod oppidulum est prope Sylvam ducis), ordinis Prædicatorum, conventus sui Sylva-ducis Mechliniam translati per plures annos prior et benefactor, deinde studiorum regens Lovanii. Variis in ordine suo muniis egregie perfunctus, obiit Mechliniæ 5 augusti 1691.

Eodem anno et die.

AMBROSIUS NACHTEGAEL, Winocibergensis, ejusdem ordinis concionator facundissimus, obiit in conventu suo Winocibergensi 14 martii 1780.

Anno 1669 *die* 24 *septembris.*

CAROLUS PHILIPPUS DE BAYNE, Gandavensis, ex ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini conventus Gandavensis, prior conventuum Antverpiensis et Hasseletensis, quorum postremum a fundamentis renovavit, Provinciæ Flandro-Belgicæ magister provincialis, obiit Gandavi 31 octobris 1676.

Eodem anno et die.

MARTINUS HARNEY, Amstelodamensis Batavus, ordinis Prædicatorum. Vid. quæ de ipsius vita et scriptis enarrat Paquot, Op. cit. tom. VI, p. 13-21.

Anno 1673 *die* 24 *septembris.*

PETRUS LAMBERTUS LEDROU, Huiensis Eburo, ordini Fratrum Eremitarum S. Augustini in conventu Huiensi adscriptus

anno 1658, apud suos primum deinde in abbatia Parcensi theologiam docuit. Tum provinciæ Flandro-Belgicæ diffinitor, præses ac provincialis exstitit. Romam accitus, quum ordinis sui capitulum generale haberetur, adeo Innocentio XI placuit, ut ei collegii *de Propaganda fide* præfecturam concredere non dubitaverit. Interea absens anno 1688 in locum Francisci Farvacques a doctoribus Lovaniensibus in octonarium numerum facultatis theologiæ Regentum cooptatus est.

Porro Innocentius XII illum anno 1692 renunciavit episcopum Porphyriensem in partibus infidelium, eumque sacrarii apostolici præfectum et episcopum solio pontificio assistentem constituit. Ad altiora promovendus erat, nisi obstitisset nota doctissimi viri modestia. Neque minus gratus exstitit Clementi XI, qui eum primo canonicatu in ecclesia S. Pauli Leodii donavit, postmodum auxit præbenda et pœnitentiarii dignitate in cathedrali Lambertina, et demum anno 1704 eidem contulit præposituram ecclesiæ S. Stephani ad gradus Moguntiæ una cum archidiaconatu Hassiæ. Anno 1708 a principe Josepho Clemente, electore archiepiscopo Coloniensi et episcopo Leodiensi, assumptus fuit in vicarium generalem; quod sibi gratissimum fuisse testatur Clemens XI in brevi apostolico, quo declarat eum Sedi Apostolicæ in gravissimis negotiis sedulam operam navasse, præsertim in edenda constitutione adversus Jansenianam hæresim.

Leodium redux, diœcesi, quæ ipsum in Christo genuerat, postremos vitæ labores vir prudentissimus addixit. Obiit 6 maii 1721, sepultus apud Patres Augustinianos Leodii cum epitaphio. Lovanii in ecclesia ejusdem ordinis solennes coram toto cœtu academico celebratæ fuerunt exequiæ, et orationem funebrem dixit Balduinus de Housta, prior et theologiæ professor.

Symbolo utebatur : *Post tenebras spero lucem.* Scripsit *Triadem Patrum seu Theologiam ex tribus SS. Patribus, Aurelio Augustino, Gregorio Magno et mellifluo Bernardo*, nec

non e SS. Canonibus fideliter depromptam ; Lovanii 1679 in-8. Romæ anno 1707 edidit dissertationes quatuor *de Contritione et Attritione*, Lovanii anno sequenti recusas, quas Benedictus XIV laudat in suis *Institutionibus*.

Eodem anno et die.

ALBERTUS KLEYNEN, Sittardiensis in ducatu Juliacensi, ordinem Fratrum Prædicatorum in conventu Mosæ-Trajectino professus, juvenis Salamanticæ in Hispania studuit. Deinde Lovanii studiorum apud suos regens, prior conventus Mosæ-Trajectensis, postremo præfectus missionum apostolicarum in fœderato Belgio, vita functus est Trajecti ad Mosam 29 aprilis 1694.

Anno 1675 *die* 10 *novembris.*

MARTINUS STEYAERT, Somerghemius, vicarius apostolicus Sylvæducensis. — Nemo de viri merito celeberrimi vita et scriptis plenius et rectius egit quam Veldenius in *Synopsi Monument. tom. III, p.* 853-873.

Eodem anno et die.

JOANNES LACMAN, Tornacensis, archidiaconus et præses seminarii Mechliniæ. Vid. Paquot, op. cit. tom. XV, p. 242.

Anno 1677 *die* 19 *octobris.*

JOANNES LOVINUS, Spadanus, Lovanii promotus in prima linea anno 1649, primo constitutus fuit anno 1657 professor rhetorices in collegio SS. Trinitatis, paulo post nominatione facultatis Artium obtinuit pastoratum natalis sui municipii Spadani. Lovanium revocatus, fit vice-præses Majoris collegii theologorum, deinde præses Minoris collegii, et inter doctores regentes cooptatur. Obiit 21 januarii 1703, ætatis suæ 74. Vid. Paquot, *op. cit. tom. IX*, *p.* 313, *not. d.*

Eodem anno et die.

HIERONYMUS MAURITIUS, vulgo *Maurissens*, Bruxellensis, ordinis Fratrum Prædicatorum. Vid. Echard, op. cit. tom. II, p. 689.

Anno 1680 *die* 22 *octobris.*

HENRICUS CHARNEUX, Visetensis ad Mosam, natus 16 julii 1644, præses collegii Leodiensis, obiit 6 augusti 1701, sepultus in ecclsia D. Petri cum epitaphio in ambitu chori. Vid. Paquot, op. cit. tom. IX, p. 312, not. C, et Swertii *Necrologium.*

Eodem anno et die.

RAYMUNDUS MATTHYS, Iprensis, ordinem Fratrum Prædicatorum Gandavi professus, ibidem præmature obiit 11 maii 1690, ætatis anno 51.

Anno 1682 *die* 13 *octobris.*

BARTHOLOMÆUS PASMANS, Mosæ Trajectensis. Vid. Paquot, op. cit. tom. XV, p. 266.

Eodem anno et die.

JOANNES LIBERTUS HENNEBEL, ex Byland Wavriensis. Vid. Paquot, op. cit. tom. XVIII, p. 286.

Anno 1682 *die* 7 *novembris.*

JOANNES O'SULLIVAN, Donckerianus Hibernus, quintus in scholis artium anno 1657. Absoluto Lovanii studiorum cursu, theologiam docuit in abbatia Lobiensi, simulque curam vice-pastoralem in oppido Casletensi haud procul a Lobio exercuit. Deinde in patriam se contulit missionarius, ut afflictis civibus suis spiritualem opem exhiberet. Anno 1666 in Belgium revocatus ab Internuncio apostolico Jacobo Rospi-

glioso, seminarii pastoralis Hibernorum præses fuit constitutus. Aliquamdiu collegium Druitianum quoque rexit. Obiit ætatis anno 66, in villa collegii Hibernici in Herent prope Lovanium, ubi in navi ecclesiæ parochialis ante chorum hoc epitaphium legitur:

D. O. M.
BEATAM IN CHRISTO
RESURRECTIONEM HIC PRÆSTOLATUR
ADM. REV. ET EX. DOM. AC MAG. N.
JOANNES O'SULLIVAN
DUNKERIANUS HIBERNUS,
S. THEOLOGIÆ DOCTOR REGENS,
CATECHESEOS REGIUS PROFESSOR,
INSIGNIS ECCL. COLL. S. PETRI CANONICUS,
COLLEGII HIBERNORUM PRÆSES ET
BENEFACTOR.
OBIIT IN VILLA 26 MAII 1699.

Anno 1685 *die* 16 *octobris.*

ANTONIUS VAN PARYS, Bruxellensis, ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini apud Lovanienses filius. Varia in ordine suo adeptus munia, vix quadragenarius præmatura morte sublatus est 31 augusti 1695.

Eodem anno et die.

JOANNES NIPELS, Mosæ-Trajectensis, ordinis Fratrum Prædicatorum, Lovanii apud suos magister studentium, Tongris prior, Coloniæ et Antverpiæ regens secundarius, studii Lovaniensis deinde regens primarius. In flore ætatis obiit Antverpiæ 19 junii 1688.

Eodem anno die 9 *novembris.*

MARTINUS HENRICUS DE SWAEN, Amstelodami natus

4 januarii 1651. Post absoluta Lovanii philosophiæ et theologiæ studia, adeptus est pastoratum de Assendelft in Hollandia boreali.

Joannes Neercasselius, episcopus Castoriensis et in Fœderato Belgio vicarius apostolicus, anno 1682 ex universitate Coloniensi Lovanium transtulit collegium, alendis pro missione hollandica alumnis destinatum, quod SS. Willebrordi et Bonifacii seu vulgo Alticolense dicitur. Post breve regimen Jacobi Catsii, primi præsidis hujus collegii, Swaenius ut illi succederet, vocatus est. Deinde anno 1692, urgente Petro Coddæo, archiepiscopo Sebasteno, populari suo ac consobrino, ad missionem hollandicam rediit, creatus pastor Begginarum Harlemensium, archipresbyter Kennemariæ, vicarius generalis diœcesis Harlemensis et adjacentium ecclesiarum. Accessit dignitas decanalis in ecclesia cathedrali Harlemensi. In hac civitate obiit 30 martii 1713. Vir erat pius et doctus, a zelo pastorali et animi mansuetudine plurimum commendatus.

Scripsit anno 1703 pro defendendis capituli Harlemensis juribus libellos duos, nimium fortasse addictus partibus eorum, quorum opera deinde inter catholicos Hollandiæ infelix schisma factum est. Quum collegium Alticolense regeret, anno 1689 et sequenti theses aliquas publice propugnandas proposuit, inter quas præcellit thesis de Matrimonio coram ministro acatholico contracto, cujus titulus est: *De Sponsa duorum.* Theses illæ iteratis typis simul prodierunt Lovanii 1703 in-8. Swaenii elogium legitur in *Batavia sacra, part. II, p.* 337.

Eodem anno et die.

FRANCISCUS PAUWENS, Bruxellensis, ordinis Eremitarum S. Augustini. Vid. Paquot, op. cit. tom. XVIII, p. 147.

Eodem anno die 20 *novembris.*

PETRUS CLENAERTS, Antverpiensis, ex eodem ordine. Vid. Paquot, op. cit. tom. X, p. 145.

Eodem anno et die.

BERNARDUS DESIRANT, Brugensis, ex eodem ordine, vir nimium ab una parte laudatus, nimium culpatus ab altera. Vid. de ipsius vita et scriptis Goethals, *Lectures relatives à l'Histoire des Sciences etc. en Belgique*, tom. I, p. 200-218.

Anno 1687 *die* 21 *januarii.*

THOMAS DUJARDIN, Hagæ-Comitanus Batavus, conventus Gandavensis Fratrum Prædicatorum alumnus. Vir doctissimus, cunctis venerandus, cujus facundiam atque animi dotes omnes laudabant, obiit 18 junii 1733. Opera ab illo edita enumerat Echard, op. cit. tom. II, p. 813.

Eodem anno et die.

FRANCISCUS D'ENGHEIN, Bruxellis nobili familia natus, ordini Fratrum Prædicatorum adscriptus fuit in conventu Gandavensi. Scholas philosophicas et theologicas per annos plures rexit apud suos Lovanii ; reliquos vitæ dies traduxit in conventu Gandavensi, in quo obiit anno 1722 die 9 novembris. Hæc edidit opera :

1. *Responsio Historico-theologica ad cleri Gallicani de ecclesiastica potestate declarationem ;* Coloniæ 1683, in-8.

2. *Authoritas Sedis Apostolicæ pro S. Gregorio Papa VII vindicata adversus Patrem Natalem Alexandrum ord. Præd.;* Coloniæ 1683, in-8. Huic scripto Natalis Alexander opposuit dissertationem VI quæ exstat in ejus Historia ecclesiastica sæc. XV et XVI.

3. *Vindiciæ adversus Avitum academicum;* Gandavi, in 8.

4. *Positio satisfaciens insolitæ oppositioni contra constitutionem Sedis Apostolicæ Unigenitus ;* ibid. 1715, in-8.

Anno 1688 *die* 12 *octobris.*

PETRUS MARCELIS, Tungrensis Eburo. — Vid. Paquot, op. cit. tom. VIII, p. 173.

Eodem anno et die.

FRANCISCUS MARTIN, Galviensis Hibernus, ab anno 1681 linguæ græcæ professor in collegio Buslidiano, deinde ab anno 1696 S. Scripturæ professor regius. Fuit canonicus ecclesiæ S. Petri Lovanii, facultatis theologicæ regens et Majoris collegii theologorum per plures annos vice-præses.

Viri ingenium et memoriam laudant omnes; sed facetus lætis salibus risum nimis movisse dicitur. Amplos, quos habuit proventus annuos, distribuebat inter pauperes, nihil sibi reservans. Obiit Brugis die 4 octobris 1721, in Nosocomio majori S. Joannis, quo se transtulerat, ut sese calculi sectioni submitteret.

Plurima edidit opuscula, acri quandoque stylo conscripta. Inter alia : 1° *Scutum fidei contra hæreses hodiernas etc.* — 2° *Refutatio justificationis editæ pro defendenda doctrina Henrici Denys, S. T. Lic. ac nuper professoris in seminario Leodiensi ;* Lov. 1700, in-4. — 3° *Statera quæstionis an ad fidem pertineat Sanctis in cœlo notas esse mortalium preces ;* Lov. 1710, in-8.

Anno 1689 *die* 30 *augusti.*

EGIDIUS MUEL, Leeuwensis in districtu Thenensi, præses collegii Mechliniensis, obiit 2 januarii 1691.

Eodem anno et die.

GERARDUS MELYN, Antverpiensis. Vid. Paquot, op. cit. tom. XVIII, p. 395.

Anno 1691 *die* 19 *augusti.*

HERMANNUS DAMEN, natus Tungris parentibus avita fide et pietate conspicuis, sub quorum cura et vigilantia in timore Domini educatus, litteris humanioribus simulque virtutum

incrementis imbuendus traditur Canonicis Regularibus civitatis Tungrensis; apud quos eum constanter fecit in utrisque progressum ut sodales omnes semper antecesserit. Inde Lovanium missus philosophiam audivit in Pædagogio Porcensi; ubi, biennali expleto cursu, in generali Artium promotione 1675 quintam philosophiæ palmam reportavit. Theologiæ deinde totum se dedit in Majori Collegio Theologorum, felicesque adeo in ea fecit progressus, ut, post quadriennalis circiter studii spatium, presbyter factus, idoneus judicatus fuerit, qui Lovanii animarum procurandæ saluti mox impenderetur in divi Michaëlis parochia, cui tum vice-pastor tum deinde per plures annos pastor omni ex parte profuit quam plurimum. At non uni parochiæ perpetuum relinquendus erat qui ipsorum pastorum non institutioni modo sed et directioni debebatur. Licentiæ igitur laurea insignitus, et anno 1691 doctorali palma condecoratus, regimini juventutis theologicæ sub magno *Steyaertio* præficitur in Majori collegio theologorum, summo alumnorum totiusque academiæ bono; parique successu a Mechliniensium antistite Humberto districtui Lovaniensi datur archipresbyter. Ipsius quoque in dies magis excrescentibus meritis moti consules Lovanienses, eum divi Petri canonicatu simul et lectione theologica adauxerunt. Ubi vero ne hilum quidem in cæteris negligens professoris et canonici munere impigre fungitur, a Sacra Facultate in ea eligitur Regens ac postmodum, vita functo *Steyaertio*, a divi Petri capitulo cooptatur in decanum. Fitque insuper a Sacra Facultate *Steyaertii* successor in præsidentia Sabbatinalium et collegii Majoris; ex quo, ob valetudinem istius tunc collegii oneri ferendo imparem, transiit ad regimen collegii Divæi, indeque ad moderamen collegii Atrebatensis accitus, tandem ad eminens Conservatoris privilegiorum munus unanimi academicorum suffragio evectus est. Et hæc quidem honorum, ab æquissimis undique rerum æstimatoribus in Hermannum Damen collatorum luculenta testimonia, egregias ejus dotes

prorsusque singularia merita abunde commendant; at duo potissimum, expressius commemorare jubet æquitas, inprimis indefessum studium quo S. Caroli Borromæi de administratione Sacramenti pœnitentiæ doctrinæ praxique exponendæ ac inculcandæ impigre insudavit, præclaris etiam eum in finem editis operibus : magnum deinde et perpetuum illud studium, quo usque ad extremum vitæ spiritum incensus est adversus omnes qui erga Sedem Apostolicam minus observantes erant.

Obiit in collegio Atrebatensi 29 octobris 1730. Vid. supra p. 58.

Eodem anno et die.

GUILIELMUS RENARDI, Hermaliensis Eburo, tertius in scholis Artium anno 1671. Philosophiam docuit in Porco per annos tredecim. Steyaertio ad præsidentiam Majoris collegii Theologorum transmigranti successit anno 1689 in regimine collegii Bajorum; fuit facultatis theologicæ regens et canonicus S. Martini Leodiensis.

Ingenium illi erat promptum, fluens et elegans sermo, gravis et sententiosa oratio, magna eruditionis copia. Inter æstuantes ea ætate Jansenismi turbas perpetuus fuit auctoritatis pontificiæ propugnator, eoque titulo male notatur in janseniano Necrologio Petri Swertii.

Obiit die 14 decembris 1731, sepultus in veteri ecclesia S. Michaelis cum epitaphio.

Anno 1698 *die* 14 *octobris.*

FLORENTIUS O'SULLIVAN, cui anno 1655 natales fuere in regni Hybernici comitatu Kiriensi, ex nobili et perantiqua *Sullivaniana* gente, quæ præter stemmatis insignia ac cum regni primoribus sanguinis affinitatem, ab avita præsertim fide, intemerataque inter tot hæresum et persecutionum procel-

las religionis observantia commendabilis est. Latinæ linguæ rudimentis imbutus in patrio solo Lovanium mittitur ad altiores scientias promovendus. Cursum philosophicum auspicatus in pædagogio Liliensi, tanta ibidem præclari ingenii edidit specimina, et indefessæ studiorum observantiæ cultor extitit tam assiduus, ut fractus licet viribus et diuturna tabe quæ eum ad plures menses a scholis abesse cogebat, anno 1683, sextum in prima linea locum consecutus sit : dignissimus sane, qui bravium reportaret, si cum ingenii præstantia amica favisset corporis valetudo. Redintegratis utcumque viribus, expletoque philosophiæ cursu, ut erat fervidus ad bonum et studiorum amantissimus, mirum quanta solertia evolvendis Sacris Codicibus ac enucleandis SS. Patrum sententiis incubuerit. Lovanii in collegio Hibernico, Præsidem nactus est reverendum admod. ac eximium D. Joannem O'Sullivan, virum celebrem, et sanguine sibi junctum. Talem in scientia Sanctorum fecit progressum, ut mox inter condiscipulos solida eruditione spectabilis emineret, demandato eidem vacantiarum prioris officio, quod summa cum laude et omnium applausu ab eo adimpletum. Anno 1690 mensis septembris die 12 licentiæ laurea in Sacra Theologia decoratur, ac in abbatia S. Gertrudis Lovanii Sacræ Theologiæ lector constituitur. Non hic meta studiis aut laboribus; sed ut erat zelo zelatus ad lucrandas animas, æmulatus morem suæ gentis, quam propagandæ Religionis Catholicæ studiosissimam prædicant historici, et manifestissima exempla demonstrant, vitam certissimis periculis exponere non dubitavit. Fervebant tum in Belgio Mavortis furiæ : vias infestabant prædones; templa et aras depopulabatur insolentis militis rapacitas; contagionis lues quaquaversum diffusa grassabatur nulli parcens; omnia demum confusione turbabantur. Non his frangitur Florentii animus; quin potius roboratur et incenditur, vitæ jacturam parvi pendens, si aliquos cœlo lucrifaceret. Nec mora : Anglorum, Scotorum et Hibernorum

castra perlustrat diligenter, alios sacris monitis, alios Ecclesiæ reficiens sacramentis, plurimos etiam ad avitam fidem convertit; ita ut, qui ex adverso stabant hæretici milites et præfecti, summam viri charitatem et ardentissimum zelum mirabundi contemplarentur. Desinente armorum strepitu, pristina studia resumit, collegii Hibernici 1697 constitutus Præses loco Joannis Sullivane qui munus deposuerat, et anno 1698 Sacræ Theologiæ Doctor renuntiatur. Anno 1707 promotus est ad Canonicatum in Ecclesia Collegiata Sancti Jacobi Lovanii, et anno proxime sequenti, ejusdem Capituli Decanus et Districtus *Incuriensis* Archidiaconus et Officialis declaratur.

A quatuor et amplius annis, tempus resolutionis suæ adventare prævidens, domui suæ disponere et in patrio solo oppressæ Religioni, pro facultatum modo, subvenire non omisit, condito inprimis testamento, quo omnia sua reliquit in piam fundationem Bursarum in hac Universitate, ea lege ut qui iis essent fruituri, omnem dein operam in missione Hibernica impenderent.

Obiit 19 augusti 1731.

Eodem anno et die.

HIERONYMUS SERAERTS, Bruxellensis, ordinis Fratrum Prædicatorum, doctrina et pietate conspicuus, obiit 14 maii 1738. Vid. *Bruxelles illustrée*, tom. II, p. 348.

Eodem anno mense decembri, Joannes Opstraet, Beringus in Campinia Leodiensi, S. T. L. et professor, collegii pontificii vice-præses, theses suas pro adipiscendo S. Theologiæ magisterio defendendas proposuit; sed ob suspectam de Jansenismo doctrinam ab ulteriori disputatione et actu doctorali seclusus est.

Anno 1699 *die* 17 *februarii.*

GUILIELMUS MARCELLUS CLAES, Gelensis Brabantus,

primus in scholis artium e Pædagogio Castri anno 1677 (celebri illa promotione qua tres primi simul renunciati fuerunt). In flore ætatis, anno scilicet 46, obiit summæ expectationis theologus (30 julii 1704).

Edidit librum de *Ethica christiana*, orationes funebres Caroli II, Hispaniarum regis, et Gummari Huyghens S. T. D. Alia edenda comparaverat, præsertim contra errores ecclesiæ anglicanæ.

Eodem anno et die.

FRANCISCUS VERSCHUEREN, Gelensis Brabantus, præses collegii Alticolensis, plura edidit opuscula janseniana hæresi infecta, quam ob causam laudari meruit a Swertio in *Necrologio*, p. 115.

Anno 1701 *die* 23 *augusti.*

CAROLUS GISLENUS DAELMAN, Hanno-Montanus, cujus elogium complectitur epitaphium quod ipsi positum est Lovanii in ecclesia S. Petri, in sacello S. Caroli Borromæi.

CAROLUS GISLENUS DAELMAN,
MONTENSIS,
GENERE NOBILIS, NOBILIOR VIRTUTE
SAPIENTIA NOBILISSIMUS
S. THEOL. DOCTOR EXIMIUS INTER EXIMIOS
REGENS FACULTATIS, PRIMARIUS PROFESSOR,
PRÆSES COLLEGII PONTIFICII
CANONICUS S. PETRI LOVANII,
ET S. GERTRUDES NIVELLIS,
THEOLOGIÆ LUMEN CLARISSIMUM ET SPLENDIDISSIMUM,
SCHOLÆ REX, CUI NULLA SÆCULA MAJOREM DEDERUNT:
QUOD TESTANTUR TAM LECTIONES QUAM SCRIPTA PUBLICA
QUÆ IPSUM FECERUNT IMMORTALEM,
PRO NOBILITATE MORATUS,

RECTUS, INTREPIDUS, GRAVIS, TOTUS IRRETORTUS,
ACADEMIÆ LINGUA, CONSILIUM, PRÆSIDIUM,
RARA APUD PRINCIPES GRATIA.
SÆPE RECTOR, SÆPE DEPUTATUS, UTRIMQUE MIRIFICUS,
OMNIA GESSIT INCREDIBILI FACILITATE.
NOMINATUS ETIAM PRIMO LOCO AD EPISCOPATUS
NAMURCENSEM, GANDENSEM ET TORNACENSEM,
SUBTERFUGIT.
OBIIT ANNO ÆTATIS 61 DECEMBRIS 21 ANNO 1731
R. I. P.

Eodem anno et die.

NICOLAUS DEYS, Bruxellensis, ordinis Fratrum Prædicatorum, vita functus 19 julii 1703.

Anno 1703 *die* 21 *augusti.*

JOANNES FRANCISCUS DE LE LOZ DE BUILLEMONT, Hanno-Montanus, vid. Paquot, op. cit. tom. IX, p. 311.

Eodem anno et die.

ANTONIUS PARMENTIER, Nivellensis, præses Majoris collegii theologorum. Vid. *Analectes pour servir à l'Hist. de l'Univ. de Louvain*, n° 2, p. 65.

Eodem anno, mense julio ad doctoratum admissus fuerat Franciscus Josephus Bataille, Marchipontanus, S. T. L. et præses collegii Leodiensis, sed phthisi laborans lauream non est consecutus.

Anno 1704 *die* 15 *januarii.*

NORBERTUS VAN BILSEN, Sylvæducensis, ordinis Fratrum Prædicatorum, cujus epitaphium exstat in *Mechelen opgeheldert, tom. II, p.* 91.

Anno 1712 *die* 26 *februarii.*

JACOBUS VAN BOSSUYT, Leeuwerghemius in territorio Alostensi, ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini. Vid. Paquot, op. cit. tom. XIV, p. 375.

Eodem anno et die.

VINCENTIUS VAN SEVEREN, Gandavensis, ordinis Fratrum Prædicatorum, vita functus 16 septembris 1719.

Anno 1713 *die* 17 *octobris.*

JOANNES LIBENS, Diesthemiensis, ordinis Fratrum Eremitarnm S. Augustini, obiit 15 maii 1747.

Eodem anno et die.

IGNATIUS ALBERTUS SWEERTS, Antverpiensis, ex eodem ordine, obiit 5 maii 1748. Anno 1732 edidit synopsin quæstionum theologicarum.

Anno 1716 *die* 1 *decembris.*

GUILIELMUS DELVAULX, ex Blehem, decanatus Trudonensis pago, episcopus Iprensis. Vid. Veldenii *Synops. Monum. tom. III, p.* 815.

Eodem anno et die.

JOANNES FRANCISCUS STOUPY, Thudiniensis. Vid. Paquot, tom. IX, p. 313 not. e.

Anno 1721 *die* 11 *novembris.*

JOANNES GUILIELMUS VAN HANEN, ex Machelen inter Trajectum et Aquisgranum. Vid. *Annuaire de l'Univ. cath. de Louvain* 1848, *p.* 280.

Eodem anno et die.

ANTONIUS ROLLIERS, Antverpiensis, ordinis Eremitarum S. Augustini, obiit 11 martii 1724.

Anno 1726 *die* 12 *novembris.*

PETRUS LUDOVICUS DANES, Casletensis. De ipsius vita et scriptis vide Paquoti prologum ad tertiam editionem *Generalis temporum notionis*, Lovanii 1773 editam.

Anno 1727 *die* 21 *octobris.*

JOANNES JOSEPHUS GUYAUX, cujus hoc elogium actis academicis adscriptum legitur :

« Natus est vir Eximius 29 februarii anno 1684 in pago *Wanfercée* sito ad fines Gallo-Brabantiæ, patre *Bartholomæo Guyaux*, matre *Anna Remy*, quorum conjugio abundanter benedixit Dominus hanc unicam concedendo prolem, quam mater enixa est cum annum ætatis ageret quadragesimum sextum, adeo ut jam ab ortu suo quid rari ac insoliti portendere videretur neo-natus. Confirmabant illud præsagium egregiæ animi dotes, quæ a primo rationis diluculo sese in puerulo manifestabant, et quas debite excolere prima fuit parentum sollicitudo. Igitur postquam latinæ linguæ rudimenta a pastore loci fuisset edoctus, *Florucum* missus est, ubi humaniorum literarum absolvit cursum, in quo consodales constanter vincere ludus erat puero. Nec mirum : quantæ enim in ipso essent ingenii vires, mox apparuit *Lovanii*, dum in Gymnasio SS. Trinitatis acriori expositus certamini primum dialectices locum obtinuit anno hujus sæculi primo; ac deinde post biennalem philosophiæ cursum, quem peregit in celeberrimo Falconis pædagogio, primam quoque omnium votis reportavit palmam. Aptus itaque ut in omni, quam fuisset amplexus, scientia, consimili laude floreret præ cæteris elegit theologicam, ut in

hoc vitæ statu, misso mundanis vanitatibus nuntio, liberius Deo vacaret, et in bonum ecclesiæ converteret talenta, quæ a larga conditoris sui receperat manu. Quanto cum successu id fecerit, plenissime comprobavit eventus; et quid aliud poterat expectari a juvene, qui sortitus animam bonam et corpus robustum ac ferendis laboribus par, toto mentis ardore in hoc volebat incumbere, ut acquireret sibi sapientiam, non terrenam, sed illam, quæ desursum est descendens a patre luminum, quam juxta exemplum sapientis proposuerat sibi pro luce habere, quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem ipsi omnia bona pariter cum illa et innumerabilis honestas : et quia placebat Altissimo, quod nec nominis famam, nec honores, nec divitias quæreret, sed hoc unicum postularet a Domino, ut ambularet in conspectu ejus in veritate et justitia et recto corde, voluit Dominus hæc etiam temporalia, quæ non postulabat, adjicere, atque ad extremam usque senectam laboribus ejus benedicere.

Varii porro fuerunt eventus, variique gradus, quibus ad eum, quem apud nos defunctus tenuit locum, ipsum ascendere jussit divina providentia. Et quidem parum aberat, quin eriperetur academiæ, dum vix initiatus sacerdotio, quintum stadii theologici annum in collegio Bajano expleverat : vacabat enim tunc *Namurci* inter canonicos graduatos locus, ad quem noster aspirabat, atque in eum finem jam inde se addixerat studiis juridicis, et baccalaureatus susceperat gradum : ast, Deo ita disponente, spe delusus, ad theologica revertitur, et anno 1709 absolutis unicæ hebdomadæ spatio quatuor disputationibus una cum examine pro licentiæ laurea requisitis, eamdem summa cum laude ac sui nominis fama consequitur, atque incontinenter ab eximio Domino *Daelman* assumitur in lectorem collegii *Adriani Sexti* pontificis, commendatus ad hanc spartam implendam a præside suo Eximio D. *Renardi*, qui probe noverat quantam sibi spem in hoc alumno suo repositam haberet academia. Hæsit in hoc loco ad annum usque 1716

quando a provisoribus collegii *Sabaudici* substitutus datus fuit consultissimo D. *Crabbeels*, ipsoque post triennium demortuo, in præsidem præfati collegii electus. Exinde autem serio cogitare cœpit de assumenda doctoris purpura, et adhuc magis ad eam consequendam incitatus fuit beneficio Augustissimi Cæsaris Caroli VI, qui ipsum anno 1723 sacrarum litterarum professorem Cæsareo-Regium constituit. Nactus itaque collegam eximium D. *Du Bois* (cujus quoque memoria apud omnes, qui academiam amant, in benedictione est) doctoralia suscepit insignia anno 1727 die 21 octobris, et necdum elapso quadriennio, scilicet 22 augusti 1731, assumtus est ad strictum sacræ facultatis collegium, eodemque ad finem vergente anno, suffectus est in collegio pontificio eximio D. *Daelman*. Jam quadraginta duo fluxerunt anni, quibus huic collegio præfuit, atque ex eodem, tamquam ex sacro quodam alveari, tot insignes emisit discipulos, qui sive in ipsa academia, sive in capitulis Belgii, sive in parochialibus ecclesiis egregiam navant operam, et cum honore Universitatis occupant sua respective loca, ad quæ sub ejus auspiciis fuerunt efformati. Loquantur illi defuncti disciplinam et pro meritis extollant tenerum illum affectum, quo suos, patris adinstar, prosequi solebat filios, atque illos inprimis, quos in virtute ac sacra scientia videbat præ reliquis exercitatos. Sed si ab istis domesticis pergamus ad præclaras animi dotes, quibus in publico fulsit, quis has condigne valeat brevi et extemporali elogio comprehendere? Quis non miratus est acre illud ingenium, quo in abstrusissima quæque theologiæ penetrabat arcana, et difficillimos secabat nodos? Quis non miratus est subtile illud in rebus discernendis judicium, cui raro exemplo jungebatur memoria eorum quæ legerat vel audierat tenacissima? Atque his omnibus christianum splendorem conferebat singularis animi modestia, demisse de se sentientis; cum enim tantus esset theologus, ut pro oraculo haberetur, attamen in resolvendis conscientiæ casibus adeo suæ diffidebat

scientiæ, ut non nisi cum summa circumspectione ponderaret argumenta quævis, ac tunc demum modeste ac timide sua daret responsa. Prudentia vero, quæ cæterarum virtutum auriga merito dicitur, omnes ejus moderabatur actiones. Hanc prudentiam perspectam habebat capitulum ecclesiæ Divi Petri, dum ipsum anno 1757 invitum et reluctantem coëgit decanatum Chori suscipere : sed locum, quem victus confratrum precibus, experimenti causa tantisper susceperat, paucos post menses dimisit, eo quod quereretur, illius officia nec ingruenti ejus convenire senectuti, nec exercitiis scholæ, quibus totus erat addictus. Hanc quoque prudentiam experta est Universitas, dum bis rectoratus academici pondus summa cum laude portavit, imo toties quoties in negotiis maxime arduis ad ejus consilia habitus fuit recursus, adeo ut cognita viri prudentia maximam ipsi conciliaret in rebus gerendis authoritatem. Prudentiam comitabatur æquitatis amor et invicta animi fortitudo, quæ (ut cum scriptura loquar) docuerat ipsum agonizare pro justitia, et usque ad mortem certare. Hinc nec spe nec metu amoveri poterat a proposito, ubi rem prosequebatur, quæ æqua sibi videbatur ac justa. Hinc tanto instabat impetu, ut peragerentur ea quæ ad bonum academiæ ac splendorem ejus conferrent : totis enim animi viribus diligebat publicum academiæ bonum, ejusque commoda privatæ suæ præferebat utilitati, imo quod ad specialem ejus pertinet laudem, noverat etiam extollere illa, quæ ab aliis recte erant gesta, et, si qui hac in re operam suam probabant, eos in oculis et in animo circumferebat.

» Hæ igitur et cæteræ virtutes, quibus decorem addebat veneranda Senis nostri canities, nomen ejus adeo per universum Belgium illustrarunt, ut summi æque ac imi eumdem impense colerent. Notum est, quanto in pretio ipsum habuerint primarii regni administri, aliique viri illustres, qui clavum reipublicæ Belgicæ moderantur. Notum est, quanti eum faceret sanctius suæ Majestatis concilium, quod binis vicibus, vacante ecclesiæ

D. Petri Præpositura, virum hunc, nihil de eo cogitantem, Augustæ Nostræ proposuit, tamquam talem, qui ob præclara sua in rempublicam merita dignus esset hoc insigni loco decorari: ast placuit Deo ut immoreretur scholæ exercitiis, et in ipso haberemus exemplum, quod vix credet posteritas. Vidimus enim nonagenarium senem, quem nec auræ intemperies, nec ulla corporis infirmitas impedire umquam potuerunt, quominus sua in scholis publicis obiret munia: vidimus hominem ætate quidem gravatum, si annorum numerum spectes, sed eadem ingenii vivacitate ac animi ardore exercitia scholastica promoventem, ac si recens in arenam descenderet: imo æstate præterita, postquam per integros quinquaginta annos sacras fuisset litteras interpretatus, adhuc tota anima in ipso erat, et robusta corporis valetudo spem nobis faciebat, fore ut ad jubilæum doctoratus (quod nulli novimus huc usque contigisse) felix ille senex pertingeret. Sed heu! Jam inde, quod nesciebamus, mortis in se ferebat spiculum: laborabat enim ulcere quodam cancroso, de quo nulli umquam hominum, nequidem medico sibi intime familiari verbum dixerat; cum autem invalesceret ulcus illud circa mensem octobrem, eousque ut plures acerbissimas operationes subire deberet vir in tanta ætate constitutus, facile quisque judicabat, quem tandem hæc fuissent habitura exitum. Ipse quoque eximius instare sibi præsentiens mortem, tabulas testamentarias dictavit, quibus, postquam modica quædam legata inter cognatos et amicos distribuerat, totam bonorum suorum massam reliquit in bursas pro theologis in collegio pontificio alendis, quos aut cognatos sibi aut contribules esse voluit. De cætero unice intentus ut sese præpararet ad adventum Domini, plura nobis dedit invictæ patientiæ ac christianæ resignationis exempla, et lectum infirmitatis in cathedram docentis convertit. Etenim acerrimos quosvis dolores non tantum sine ulla querela, sed placido etiam patiebatur vultu, ita quidem, ut potius de familiaribus ipsi compatientibus quam de se esset sollicitus: deinde

plenissima resignatione divinæ sese submittens voluntati, frequenti conscientiæ discussione, piis suspiriis ac melioris vitæ desiderio occupabat animum. Inter hæc tamen subinde spe quadam lactabamur, eo quod radix mali in melius videretur vergere; sed accessit pertinax omnis cibi fastidium, quod nullis remediis vinci potuit, ex quo factum est, ut paulatim defecerint corporis vires et consumtis carnibus pellis tantum et ossa remanerent. Inter adstantium lacrymas extrema suscepit sacramenta, quod ut majori cum fructu faceret, eadem die mille florenos in pauperes jusserat distribui. Post hæc soli Deo intentus, piisque precibus ac gemitibus animum plene sui compotem ad finem usque sustinens, placide in Domino obdormivit 8 januarii 1774. Sic igitur in senectute bona et plenus dierum mortuus est vir ille, qui per tot annos scholæ nostræ decus et ornamentum extitit singulare. »

Plures reliquit codices MSS ad elucidandas S. Scripturas, inter quos Commentarium in Apocalypsin typis editum anno 1781 in-8.

Eodem anno et die.

NATALIS DU BOIS, natus in parochia de My, districtus Durbutensis in ducatu Luxemburgensi, præses Majoris Collegii Theologorum. Vid. *Analectes pour servir à l'hist. de l'Univ. de Louvain, n°* 2, *p.* 65 *et* 93.

Anno 1732 *die* 5 *augusti.*

CLAUDIUS JOSEPHUS DU QUESNOY, Athensis, præses collegii Hovii quod *Patrimonium Christi* dicebatur. In ipso ætatis flore apoplexia correptus, obiit 29 sept. 1736.

Eodem anno et die.

LAMBERTUS DE JENEFFE, Huensis, præses collegii Atrebatensis. Ea erat animi suavitate, ea modestia et comitate, ut summis et imis esset carissimus; dicendi facundia, scribendi

elegantia, docendi solertia et in rebus arduis constantia cœteras animi dotes exornabant.

Anno 1741, quum Academiæ rector esset, orationem funebrem habuit in exequiis Caroli VI cæsaris. Obiit 25 jan. 1753.

Eodem anno et die.

JACOBUS DE MEULENAERE, ex Wachtebeke, ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, defunctus 11 februarii 1740.

Anno 1732 *die* 19 *augusti.*

STEPHANUS DOMINICUS DE LAITTRES, ex Brania Comitis, præses collegii Atrebatensis, defunctus 8 sept. 1773.

Eodem anno et die.

ANDREAS HENCKHUYSEN, Lovaniensis, præses collegii de Craendonck, obiit ætatis anno 49 die 27 decembris 1748.

Ad preces Thomæ Philippi Cardinalis archiepiscopi Mechliniensis, operam impendit una cum viris præclarissimis Guyaux et Van Gameren, in corrigendis Sacris Bibliis cum notis Hamelii, Lovanii typis editis. Curavit etiam Psalterii versionem flandricam, Lovanii quoque typis editam.

Eodem anno et die.

HENRICUS GABRIEL VAN GAMEREN, episcopus Antverpiensis. Vid. Van de Velde, *Synops. monum. tom. III, p.* 753.

Eodem anno et die.

GREGORIUS VALLYN, Bruxellensis, ordinis Fratrum Prædicatorum, obiit 19 februarii 1769.

Anno 1738 *die* 26 *augusti.*

JORDANUS PRINGUÉ, Menenensis Flander, ordinis Fratrum Prædicatorum. Post susceptam lauream doctoralem in abbatia S. Petri Gandavi per annos quatuordecim theologiam docuit. Eo

tempore exaravit *Theologiam speculativam et moralem* ad mentem D. Thomæ, editam Gandavi 1742 et seqq. vol. IX in-8. Obiit 1752 die 14 januarii.

Anno 1741 mense martio pro adipiscendo magisterio disputavit *Augustinus Le Jeune*, Luxemburgo-Iselensis, ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, sed lauream non suscepit. Obiit in monasterio suo Bulloniensi mense martio 1751.

Anno 1743 *die* 19 *novembris.*

LAURENTIUS JOSEPHUS LELIVELT, Sylvæducensis, præses collegii Hollandici, defunctus 8 januarii 1765.

Eodem anno et die.

LUDOVICUS FERDINANDUS LENGLÉ, Casletanus, præses collegii Driutiani, obiit 17 decembris 1765.

Eodem anno et die.

JOANNES ROBERTUS GISLENUS CAIMO, episcopus Brugensis. Vid. Van de Velde, op. cit. tom. III, p. 775.

Eodem anno et die.

JOSEPHUS MAUGIS, Namurcensis, ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, apud suos et exteros merito eruditione theologica et virtutibus clarissimus. Obiit 22 martii 1780.

Anno 1751 *die* 16 *novembris.*

PETRUS JOANNES BAPTISTA DE BEAUVAIS-ROSEAU, natus Vitriaci in Gallia, præses Minoris collegii Theologorum, defunctus 21 maii 1765.

Eodem anno et die.

JOANNES VAN DER AUWERA, cujus hæc fuit vitæ series.

Natus est mense januario anno MDCCIX, in Putte, non ignobili districtus Arculani in Marchionatu Imperii municipio,

altero a Mechlinia lapide. Pater ei fuit Petrus Van der Auwera, ruris ac Villæ, quam eo loci commendaria de Pitzenburg ordinis Teutonici Mechliniæ tenebat, colonus. Tredecim annorum adolescens Gelense in Campinia lycæum, studiorum causa, adiit, Petro Vennekens humaniorum litterarum severo institutore illic usus, a quo saluberrimis præceptis, quæ ad recte pieque vivendum pertinent, eruditus fuit. Deinde ad Lovaniensem Academiam, bonarum artium domicilium, impiger se contulit, ut gravioribus disciplinis animum excoleret; et philosophicis quidem in castrensi Pædagogio, quamquam adversa valetudine retardaretur, sedulam adeo navavit operam, ut, quod non nisi summis ingeniis contingit, ei prima laurea decreta fuerit. His adjumentis paratior ad theologiam venit, seseque in disciplinam tradidit Carolo Gisleno Daelman, eoque inopinate e vivis erepto, Joan. Jos. Guyaux, viris in theologica facultate excellentibus, collegii Adriani VI moderatoribus. Ita se magistris bonisque omnibus probavit, ut munia subinde ei cœperint conferri, tamquam prœmium vigiliarum et in vicem stimuli ad conandum majora. Prima ei veluti velitatio fuit in publicis theologiæ scholis munus istud, quod vacantiarum prioris vocant: non diu post in abbatia, quæ alodium B. Mariæ, vulgo Molinium appellatur, lector adsciscitur. Exstabat ea domus, Cisterciensis instituti, in Diœcesi et comitatu Namurcensi, haud longe a Mosæ ripa, milliari infra Dionantum. Verum mensibus non amplius sex illic egit, Lovanium revocatus, ut in Castrensi Pædagogio, quod paucis ante annis suo nomine celebre reddiderat, functiones primum, dein munus etiam professoris in philosophica Facultate exerceret. Hanc spartam sedulo exornavit, quamquam vero per ea tempora in alia distractus, theologicam tamen disciplinam ea diligentia colere porro porrexit, ut Licentiæ anno 1742, et post novennium doctoralem etiam gradum pro meritis obtinuerit. Quam vero esset dignus, cui doctrinæ insignia tribuerentur, id luculente patuit, cum certatim ei et docendi et regendi provincia in

Lovaniensi Athenæo a summis viris commendaretur. Nam primum ei Eloquentiæ Christianæ cathedra oblata fuit, qua anno 1753 dimissa, et lectionem, quam ordinariam vocant, adeptus, juniorum præcipue commodo ac utilitati subserviens, theologiæ elementa ita tradere solitus erat, ut sine ullis salebris, sine ulla asperitate in aures animosque discentium ea influerent, eisque se naturali pulchritudine commendarent. Unde Regentium collegio, in locum Natalis Du Bois, adscribere illum Facultas Theologica anno 1757 minime dubitavit; ut vero juventuti ad pietatem et doctrinam efformandæ propius incumbere posset, collegii majoris Theologorum regimini 28 junii 1759 ab eadem Facultate admovetur, postquam per decennium, quam esset in juvenum animis sibi devinciendis exercitatus, in collegio, quod a Marcello de Craendonk fundatore nomen traxit, luculente probasset. Illic enim 4 januarii 1749 viro celeberrimo Andreæ Henckhuysen successerat.

Cæterum quæ in Theologorum collegio præclare ab eo gesta sunt, operæ pretium est breviter perstringere. Æquus ingeniorum æstimator, nihil intermisit, quo alumni ad optimarum rerum cultum formari possent : in quibus præclara esset ingenii virtutisque indoles, hos liberalitate sibi devinciebat, crebrisque monitis, veluti laboris stimulis, ad summa quæque excitabat : nemini suam operam deesse patiebatur, ut adeo omnes in amorem ac benevolentiam sui adduxerit : rem familiarem ac redditus sua cura auxit. Collegium partim exornavit, maxime oratorium quod coloribus et auro renovavit, et argenteo tabernaculo ditavit : partim etiam auxit, splendido exstructo ædificio, quod in horto, qua boream spectat, conspicitur. His ergo in rebus senescebat, postquam etiam binis vicibus Rectorali dignitate ornatus fuisset, et quæ eo spectant, recte prudenterque præstitisset. Firma ac stabili per omnem fere vitam valetudine usus, tandem languescere cæpit, et quarto idus majas anno MDCCLXXXIII obiit magno sui relicto desiderio. Testamentum fecit, in qua quindecim

florenorum millia monetæ cambialis collegio in studiorum commodum legavit. Funus ei satis honorificum factum fuit biduo post obitum in B. Petri æde, ubi in cæmeterio ejus corpus, sicut jusserat, sepultum fuit.

Anno 1756 *die* 24 *februarii.*

PETRUS IGNATIUS DE BISSCHOP, Rothnacensis, præses collegii Bajani, defunctus 15 octobris 1780.

Eodem anno et die.

HENRICUS VAN DE PUTTE, Cortracenus Flander, ordinis Fratrum Prædicatorum. Vid. *Recherches sur les sépultures des ducs de Brabant à Louvain;* Brux. 1845, in-4, p. 26.

Eodem anno die 3 *augusti.*

JACOBUS THOMAS WELLENS, episcopus Antverpiensis. Vid. Van de Velde, op. cit. tom. III, p. 754.

Eodem anno et die.

CHRISTIANUS FRANCISCUS TERSWAEK, Roterodamus, primum philosophiæ deinde eloquentiæ christianæ et theologiæ scholasticæ professor et Facultatis theologicæ regens. Obiit in collegio suo Alticolensi, cui præerat, 5 junii 1781, ætatis anno 56.

Exstant typis editæ ipsius orationes funebres habitæ in exequiis archiepiscopi Damasceni, nuncii apostolici, et Francisci I, imperatoris, et oratio de sacris hostiis Bruxellis adservatis.

Anno 1766 *die* 21 *octobris.*

FRANCISCUS BRUYNINCX, Teneramundanus, ordinis Eremitarum S. Augustini. Obiit Gandavi 13 februarii 1779.

Eodem anno et die.

GERARDUS DECKERS, ex Kevelaer, præses collegii Atrebatensis, defunctus 23 julii 1782, ætatis anno 49.

Eodem anno et die.

THOMAS LAMBERTUS GHENNE natus Lovanii anno 1734, parentibus honestis et pietate conspicuis. Percepta dialectica in gymnasio SS. Trinitatis, philosophorum ingressus est stadium in pædagogio Falconis, eo quidem successu, ut secundum in prima linea locum obtinuerit anno 1753.

Novis animis ad altiora properans, in collegio Pontificio theologiæ studiis se totum tradidit. Mox philosophiæ professor electus, academicam juventutem liberalibus instruxit artibus; divinam tamen scientiam adeo ipse non neglexit, ut brevi doctoralem lauream summo cum applausu fuerit consecutus.

Ad theologiæ cathedram evectus, non solum discipulos, quos numerosos habuit, sana erudivit doctrina, verum omnem quoque eo curam impendit, ut rectissimi sermonis incorruptam integritatem romanæ conjungeret facundiæ, quæ sane multum discrepat a vulgari ac insipida dicendi loquacitate.

Variorum in urbe Lovaniensi collegiorum, et novissime plures per annos *Pontificii* præses fuit vigilantissimus. Hanc ab *Adriano sexto* fundatam domum e ruinis prope excitavit, et sumptuoso decoravit splendore. Egregias naturæ dotes, quibus fuit cumulatus, præclaris sine fuco adauxit virtutibus, iisque omnium sibi amorem ac venerationem conciliavit. In ipso enim perspiciebatur par industria et simplicitas, acre ingenium, judicium subtile, memoria tenacissima. Rerum humanarum vicissitudines plus semel expertus, ob constantiam in tuendis Universitatis juribus, anno 1788 exulare compulsus est. Ab exilio Lovanium redux et in pristinam dignitatem restitutus,

Majorum doctrinam, a qua neque promissis neque minis divelli umquam potuit, impigro fervore theologis e cathedra explanavit, donec, destructa Universitate, Vir eximius, annis gravis et labore, privatum se viderit honoribus et iis omnibus quæ ad honestam vitæ sustentationem opportuna sunt.

Has inter calamitates, quas patienti animo perpessus est, si quæ ex ore ejus excidit querela, vetus illud carmen fuit, placido tamen vultu repetitum : *Donec eris felix, multos numerabis amicos ; tempora si fuerint nubila, solus eris.* Obiit 19 julii 1813.

Eodem anno et die.

VINCENTIUS HERFFS, ex Millen, in ducatu Juliacensi, ordinis Fratrum Prædicatorum, obiit in abbatia Parcensi 25 februarii 1801, ætatis anno 70.

Anno 1775 *die* 8 *augusti.*

PETRUS WUYTS, ex Tongerloo, anno 1756 primus in scholis artium. Obiit præses collegii Standonici 16 martii 1788.

Eodem anno et die.

JOANNES FRANCISCUS VAN DE VELDE, vita functus in Beveren tractus Wasiani pago, natali loco, 9 januarii 1823.

En viri æterna memoria digni elogium, ab amicis editum :

« Natus est vir egregius die quinta martii 1745 honestis parentibus Mathia Van de Velde et Maria Catharina Van Royenacker, qui et ipsi incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini (1) dilectissimum sibi filium ab infantia timere Deum docuerunt (2), quod est principium et radix sapientiæ (3).

Pueritiæ annis prospere exactis, humaniores litteras *Herendalii* ac *Gelæ* in Campinia didicit, in quavis classe sodalibus primam palmam præripiens. Philosophicas vero disciplinas *Lo-*

(1) Luc. 1. v. 6. (2) T. b. 1. v. 10. (3) Eccl. 1. v. 25.

vanii in florentissimo pædagogio Porcensi excepit, locum primæ lineæ secundum in generali artium promotione anni 1763 adeptus. Mox theologiæ operam dedit, alumnus collegii majoris S. Spiritus; expletoque ibidem septem annorum cursu, intra quem sacerdotii dignitate insignitus baccalaureatus gradum recepit, ac quatuor pro licentia disputationes summa cum laude habuit, collegium Alticollense anno 1771 cœpit incolere. Cum illic versaretur, mense februario 1772 spectabili licentiæ laurea condecoratus est; eique bibliothecæ academicæ cura ac administratio commissa fuit, quod quidem munus per viginti quinque annos adeo fideliter seduloque gessit, ut aucta eo intervallo bibliotheca incredibili selectorum ac pretiosorum voluminum numero splendorem nobilissimum induerit, quem et ipsa funestissima tanti hujus musæi direptio fuit admirata.

Anno 1773 in vicepræsidem collegii Sabaudici assumptus, hinc transiit ad collegium minus Sancti Spiritus; quod dum præses vigilantissimus gubernabat, die 8 augusti 1775 maximo cum applausu sacræ theologiæ doctor est creatus. Anno 1776 fit præses collegii Hollandici, et simul examinator eorum qui ex Lovaniensi schola ad sacros ordines essent promovendi pro missione Batava ac diœcesi Sylvæducensi. Sequenti anno inter facultatis theologicæ doctores-regentes adlegitur; cumque modo per triennium vicaria opera sacras litteras publice in academia explanasset, demum die 28 novembris professor Cæsareo-Regius constituitur, et in canonicum primæ fundationis ad S. Petrum Lovanii promovetur. In cathedra honoris, quam tamen a rege quærere noluit (1), pro meritis exaltatus, quanto cum fructu tamquam imbres miserit eloquia sapientiæ suæ (2) testantur discipuli, quos vir peritissimus multos erudivit (3) quique in sapientia, quam de facundo illius ore suaviter fluentem aure assidue inclinata exceperant, ipsi etiam multum profecerunt (4).

(1) Eccl. 7. v. 4. (2) Ibid. 39. v. 9. (3) Ibid. 37. v. 22. (4) Ibid. 51. v. 21. et seq.

Sublimi hocce magisterio gnaviter fungebatur, quando sacra facultas eum ad majoris collegii vacantem præfecturam die 12 maji 1783 unanimi voto et per acclamationem elegit. Si linguæ calamique tacuerint, lapides etiamnum clamabunt (1), quanta cum sollicitudine ac liberalitate hujus collegii spatiosa ac splendida ædificia eo fere, quo adhuc visuntur, statu e fundamentis partim erexerit, partim quoque, quæ vetustate lababant, magnifice restaurarit. Id vero dolendum maxime quod præses laudatissimus, qui ingressum celeberrimæ hujus domus amplificavit (2), plus semel ex eadem procelloso tempore fuerit deturbatus.

Etenim post varias dimicationes, e quibus defensor veritatis et scriba legis Dei cœli doctissimus (3) exivit vincens (4), quamvis pro hac fide loco honoris et præmii (5) a cathedra et functione sua aliquandiu fuerit submotus, tandem anno 1788 ob propugnatam solidissime orthodoxæ fidei doctrinam atque ob firmissimam in tuendis Almæ Matris juribus constantiam, iniqua exilii sententia percussus, latebras quærere et fuga sibi consulere cogitur; donec exeunte mense decembri anni sequentis Lovanium feliciter reversus, in pristinam præsidis dignitatem cæteraque præclara sua munia ampliori cum fulgore restitueretur.

In prima Gallorum occupatione, quæ anno 1792 accidit, Lovanii in majori collegio permansit; innumeris licet vexatus fuerit molestiis, sumptibusque oneratus: in altera autem ejusdem nationis irruptione mense junio 1794, sibi ipse ab effrænata gente graviter metuens, in *Hollandiam* primum, dehinc in *Westphaliam* se contulit: tum *Bremæ* in *Saxonia Inferiori* subsistens, famosa manuscripta *Goldastina*, quæ illic in bibliotheca publica adservantur, et inter ea codicem pervolvit, continentem epistolas illustrium virorum propriis ipsorum mani-

(1) Luc. 19. v. 40. (2) Eccl. 50. v. 5. (3) 1. Esd. 17. v. 12. (4) Apoc. 6. v. 2. (5) Eccl. 6. v. 6.

bus ab anno 1500 ad 1620 exaratas, quas prænobili calamo nitidissime exscribi curavit, digestasque in classes tres theologorum jurisconsultorum ac philosophorum compingi jussit, in unum volumen, postea prelo vulgandum.

Spe quadam tranquillitatis in *Belgio* reparandæ ductus, mense augusto anni 1795 Lovanium ad pristina obeunda officia remeavit; sed quantas ibidem sub gubernio directoriali, quod mense novembri ejusdem anni institutum fuit, quamque acerbas vexationes ac persecutiones subierit, longum est enarrare : nam in carcerem anno 1797 mense majo conjectus fuit; ac demum mense decembri in eum lata est in *Cajanam Insulam* deportationis sententia : attamen furibundis violentisque insectatorum manibus seu de laqueo venantium (1) singulari Dei beneficio ereptus, inter multa, quæ cautus superavit, pericula, tandem ineunte mense februario anni 1798 ad ripam *Rheni* atque in loca tuta sub ditione regis *Borussiæ* pervenit. Inde peragratis variis *Germaniæ* provinciis, *Cassulæ* in *Hassia* et alibi bibliothecas, aliaque scientiarum hospitia impigre lustravit : *Gothæ* in *Thuringia* a serenissimo duce Ernesto humanissime fuit exceptus : *Dresdæ* in *Saxonia superiori*, per tres subsequentes annos hiemali præsertim tempore commoratus, locupletia ibidem musæa cæteraque artium ac antiquitatum domicilia frequentavit : *Francofurti ad Oderam* ipsi oblata est una ex cathedris, quas *Borussiæ* Rex illic erigere statuerat pro novis suis in *Polonia* subditis, religionem romano-catholicam profitentibus.

In quadrienni ista emigratione, Eximius Viator clarissimorum ac doctissimorum virorum consuetudine et amicitia usus ab ipsis etiam dono accepit aliquot autographas celebris *Philippi Melanctonis* epistolas, quas notis a se dilucidatas typis mandare destinavit.

Anno 1802, occasione pacti inter summum pontificem et

(1) Psalm. 124. v. 7.

primum Gallicanæ reipublicæ consulem initi, ad carum *Belgii* solum properans, *Bruxellas* advectus est, ibidemque in integrum restitutus. Hinc anno sequente tantisper discessit, ut amicos, benevolosque hospites in *Germania* gratus inviseret, et ea simul, quæ studiosissime collegerat, pretiosa litteraturæ documenta secum in patriam adferret. Tum *Bevernæ* in loco natali sedem fixit, curisque ingentibus ad amplum, quod meditabatur, opus perficiendum materiem universam præparavit. Huic digerendæ dum incumbebat, anno 1811 rogatus imo compulsus ab illustrissimo Gandensi episcopo ut cum ipso ad consilium nationale *Parisios* tenderet, excellentissimi principis sui præsulis desiderio ac voluntati obsecutus est. Quam fortiter pro conservanda universalis ecclesiæ disciplina in vacillante isto cœtu egerit consiliarius hic electus unus de mille (1), demonstrant ea, quæ idcirco passus est fortiter. Abrupto namque consilio a politicæ potestatis satellitibus comprehensus, in custodiam *arcis Vincennensis* detrusus fuit : hinc *Retelium* velut in exilium missus, ibidem mansit usque ad mensem majum anni 1814, quo *Bevernam* et ad lares paternos summa omnium gratulatione tamquam e triumpho rediit. Eodem mense diligenter laborare cœpit cum suis, qui superstites erant quondam collegis sociisque, ut spes, quam de restauranda antiqua Universitate Lovaniensi recte conceperant, pro votis impleretur. Posteaquam vero magnam illam spem extenuari et evanescere prorsus vidit et doluit (2), dudum ante cœptam monumentorum collectionem, quæ ad conciliorum Belgicæ editionem spectabant, iterum in manus sumpsit. In hac chartarum copia selegit ea monumenta, quæ metropolitanæ ac primatiali ecclesiæ Mechliniensi propria erant : namque ab hac ecclesia initium erat faciendum *Synodici Belgici*, quod promulgare instituerat. Sed priusquam nova et absoluta collectio synodorum archiepiscopatus Mechliniensis ederetur,

(1) Eccl. 6. v. 6. (2) 1. Mach. 2. v. 24.

placuit apparatum titulo *Synopseos* præmittere, quæ tandem anno 1822 tribus voluminibus *Gandavi* prodiit.

Ad majorem lucubrationem accinxerat se auctor exercitatissimus : sed dierum longitudine repletus (1) gravique ægritudine, quam patienter sustinuit, plurimum debilitatus, finem sibi vitæ appropinquare sensit; quem placido animo prospiciens, sæpius testatus est, maximo se solatio affici, quod integris sensibus et toto corde vitæ suæ sacrificium Deo creatori ac redemptori posset offerre. Itaque SS. exeuntium Sacramentis rite munitus, pie, uti vixerat, exspiravit die nona januarii 1823, sepultusque est *Bevernæ* in cæmeterio ecclesiæ parochialis, ubi crebro effuderat in conspectu Domini orationem suam et tribulationem suam ante ipsum pronunciaverat (2).

Hæc strictim vitæ series Eximii Magistri nostri JOANNIS FRANCISCI VAN DE VELDE, quem purissimis virtutibus, præclarisque animi dotibus cumulatim ornatum, pro meritis laudare satis non possumus, dura nobis morte ereptum continue lugemus.

Ambulavit pes ejus iter rectum, et a juventute sua investigavit sapientiam, quæ in ipso effloruit tamquam præcox uva (3).

Conspicua prudentiæ præbuit specimina, dum iterata vice Rector Magnificus inclytum sed arduum pondus in motu ac turbine strenue portavit. Necessitatibus sanctorum communicans et hospitalitatem sectans (4), profugos anno 1792 e *Gallia* sacerdotes collata, quantum potuit, ope sustentavit, ac illustrissimum et modis omnibus venerandum Ambianensem episcopum, in majori collegio honorifice receptum, mensæ quoque suæ fecit participem. Profundam, omnigenamque præstantissimi viri eruditionem probant plurimi, quos conscripsit et partim edidit, memoriales libri, dissertationes, defensiones et alia : inter quæ emicat facundissima oratio, quam in illustri basilica Bruxellensi SS. *Michaelis et Gudulæ* habuit anno secu-

(1) Psalm. 90. v. 16. (2) Psalm. 141. v. 3. (3) Eccl. 51. v. 20. (4) ad Rom. 12. v. 13.

lari secundo a restitutis denuo publico cultui Sacris Hostiis, quæ in eadem basilica adservantur.

Cæteros ipsius labores quid prolixius memoremus? Ut paucis multa complectamur : *Bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem* (1) *servavit* propugnavitque ea nimirum tempestate, cum potentiores aliqui sanam doctrinam non sustinebant, sed ad sua desideria coacervabant sibi magistros mendaces (2), quos eximius noster *doctor in fide et veritate* (3) confutavit egregie atque confudit. In reliquo reposita est illi, quin et reddita modo (ut confidimus) a justo supremoque judice corona justitiæ, qua beatos inter doctores sicut stella fulgebit in perpetuas æternitates (4). »

Anno 1776 *die* 22 *octobris.*

PETRUS JACOBUS MARANT, ex Bavinchove Casletensis, præses collegii Vigliani. Nomini ipsius maculam inurunt quæ scripsit de Assumptione B. Mariæ Virginis, et quæ gessit quum a Josepho II seminarium generale institutum fuerat. Vid. *Synodicon Belg. tom. II, p.* 75 *et seqq.*

Obiit Cortraci 12 septembris 1812.

Anno 1780 *die* 22 *augusti.*

JOANNES VAN DE WINKELE, ex Wachtebeke in Flandria, ordinis Eremitarum S. Augustini. Obiit in municipio S. Nicolai Wasiæ 22 augusti 1811.

Eodem anno et die.

PIUS FRUYT, ex Gaveren in Flandria, ordinis Fratrum Prædicatorum. Post dispersam academiam, anno 1802 constitutus fuit deservitor parochiæ de Ertvelde in diœcesi Gandavensi, et anno sequenti pastor majoris Begginagii apud Gandavenses. Obiit 4 septembris 1813.

(1) 2 ad Tim. 4. v. 7. (2) Petri 2. v. 1. (3) 1 ad Tim. 2. v. 7. (4) Dan. 12 v. 3.

Eodem anno et die.

JOANNES HUBERTUS JOSEPHUS LEEMPUT, Roterodamus, præses collegii Hollandici, defunctus 1802.

Anno 1741 *die* 20 *februarii.*

GEORGIUS JACOBUS JOSEPHUS MAYENCE, Leodius, præses collegii Malderiani, deinde Luxemburgici. Dispersa academia, fit pastor ad S. Joannem Baptistam Namurci, ubi obiit 28 augusti 1807.

Eodem anno et die.

JOSEPHUS FRANCISCUS ENGELBERTUS WERBROUCK, Antverpiensis, præses collegii Veteranorum et pastor S. Michaelis Lovanii. Anno 1785 nominatus decanus ecclesiæ cathedralis Antverpiensis, vicarii generalis dignitate augetur. Vir fortis et strenuus, pro fide exul, obiit in pago de Ysselsteyn juxta Trajectum ad Rhenum, 21 novembris 1801, ætatis anno 49.

Eodem anno et die.

JOSEPHUS BENEDICTUS DE MAZIERE, ex Leysele Furnensis, primum præses collegii Divæi, deinde Standonici, præpositus ecclesiæ Sonegiensis, anno 1803 pastor Dixmudanus, obiit anno 1824.

Anno 1794.

Hoc anno mensibus aprili, maio et junio publicas disputationes habuerunt, sed ob temporum acerbitatem lauream doctoralem solemni ritu consequi non potuerunt,

1. ANTONIUS VAN GILS, Tilburgensis, linguæ græcæ et theologiæ professor ordinarius, ad S. Petrum canonicus et postremus collegii Malderiani præses; obiit præses Seminarii Buscoducensis 10 januarii 1834. Vide Wilmer, *Lykrede op de plegtige uitvaart van den uitmuntenden, eerwaardigen, hoog-geleerden heer Anthonius Van Gils*, Buscoducis 1834 in-8; et *Nouveau Conservateur belge*, tom. X, p. 100 et 476.

2. GASPAR MOSER, Mosæ-Trajectensis, ad catechismum concilii Tridentini professor, ecclesiæ D. Petri Lov. canonicus, et collegii S. Willibrordi præses. Vide notitiam de ipsius vita et scriptis in *Annuaire de l'Univ. cath. de Louvain* 1842, p. 132.

3. JOANNES JOSEPHUS HAVELANGE, ex Dieupart Luxemburgus, theologiæ professor ordinarius, ad S. Petrum canonicus, collegii Vigliani præses, et ultimus ante Academiæ dispersionem rector magnificus. Vitam, pietati et scientiæ sacram, martyrio coronavit : mense enim octobri 1797 Bruxellas primum, paulo post Russellam ac demum in insulam Cayanam deportatus ob fidei constantiam, ibique ærumnis exhaustus obiit 6 septembris 1798. Auctor est operis : *Ecclesiæ infallibilitas in factis doctrinalibus demonstrata et a Jansenianorum impugnationibus vindicata ;* Luxemburgi 1788 in-8, quod opus Pius VI brevi apostolico ad auctorem dato plurimum laudavit.

4. JOANNES WILHELMUS HOEVELMANN, natus in Buer in Westphalia 12 septembris 1759. Philosophiæ auditor in pædagogio Castri, anno 1776 quartum locum retulit in generali Artium promotione. Primum philosophiam deinde theologiam docuit, præses collegii Divæi et canonicus ecclesiæ S. Petri. Post dispersam academiam, die 15 augusti 1803 nominatus fuit canonicus titularis ecclesiæ metropolitanæ Mechliniensis, ibique confessarii et concionatoris munera exercuit, et toto trienno præfuit seminario archiepiscopali. Contracto morbo epidemico in nosocomio militari, in quo per tres integros menses ægris opem spiritualem indefesse attulerat, obiit 13 januarii 1810. Illo vitæ fine egregio redemit præteritam culpam, quam admisit, quum emitteret et licitum esse propugnaret famosum *juramentum odii*, quod cæteri fere omnes e clero, dignitate et scientia præstantes, tamquam sacrilegum facinus detestabantur.

Anno 1841 *die* 2 *augusti.*

Post restitutam facultatem theologicam, laurea doctoralis

more Majorum denuo collata est, secundum præscripta quæ leguntur ad calcem orationis *de Doctoris catholici dignitate et officio*, p. 43 et seqq. Illud tamen exstat discrimen, quod utraque laurea, et Theologiæ et SS. Canonum, in facultate theologica conferatur; non enim hodiedum, prout olim, apud nos distincta habetur SS. Canonum Facultas.

Primus itaque ad gradum doctoris SS. Canonum solemni ritu promotus est AUGUSTUS KEMPENEERS, ex Montenaken, presbyter diœcesis Leodiensis, nunc in seminario Leodiensi SS. Canonum professor et examinator synodalis. Dissertationem inauguralem scripsit *de Romani Pontificis primatu ejusque attributis*; pagg. 267 in-8.

Anno 1847 *die* 26 *julii.*

Ad gradum doctoris SS. Canonum promotus HENRICUS JOANNES FEYE, Amstelodamensis, presbyter missionis Hollandicæ, S. Theologiæ doctor collegii Romani. Dissertatio ipsius inauguralis est *de Matrimoniis mixtis*; pagg. 267 in-8, ad quam appendicis loco spectat dissertatio, quam nuper in urbe patria edidit, *de Nuptiarum benedictione*, *ad virum Exim. Ant. Jos. Binterim.*

Eodem anno et die.

An gradum doctoris in S. Theologia promotus CAROLUS DE BLIECK, ex Somerghem, presbyter diœcesis Gandavensis, S. Theologiæ lector in Abbatia Parcensi, nunc Romæ degens. Inauguralem dissertationem edidit *de Unitate Ecclesiæ catholicæ*, pagg. 194 in-8.

Ad suscipiendam lauream doctoris SS. Canonum hoc anno 1848 disputationes publicas habebit VICTORINUS AUGUSTUS HOUWEN, Poperinghanus, presbyter diœcesis Brugensis, scripta *Dissertatione historico-canonica de Parochorum statu*; pagg. 152 in-8.

* * * * *

Vetus academiarum institutum est, ut gradus doctoris aliquando *honoris causa* conferatur. Itaque Albo academico inter S. Theologiæ doctores adscripti sunt viri Reverendissimi et Clarissimi quorum nomina sequuntur.

1836 *die* 9 *martii*. NICOLAUS JOSEPHUS DEHESSELLE, quondam præses seminarii Leodiensis, episcopus Namurcensis.

1838 *die* 5 *augusti*. LUDOVICUS JOSEPHUS DELEBECQUE, quondam præses seminarii Brugensis, episcopus Gandavensis.

1839 *die* 2 *februarii*. NICOLAUS JOSEPHUS DE COCK, canonicus hon. ecclesiæ metropolitanæ Mechliniensis, Universitatis cath. Lov. vice-rector et in Fac. Phil. et Lit. philosophiæ moralis prof. ord.

Eodem anno et die. HENRICUS JOANNES WOUTERS, can. hon. ecclesiæ cath. Leodiensis, in fac. Theol. historiæ eccl. prof. ord.

Eodem anno et die. JOANNES BAPTISTA VERKEST, can. hon. ecclesiæ cath. Brugensis, theol. moralis prof. ord. et præses collegii S. Spiritus, qui muneri academico renunciavit, ut Societati Jesu nomen daret.

Eodem anno et die. GERARDUS CASIMIRUS UBAGHS, can. hon. eccl. cath. Leodiensis, in Fac. Phil. et Lit. philosophiæ prof. ord., præses collegii S. Spiritus.

1839 *die* 23 *novembris*. ANTONIUS DE LUCA, professor in archigymnasio romano, academiæ eccl. nobilium vice-præses, nunc episcopns Aversanus in regno Neapolitano.

Eodem anno et die. JOANNES THEODORUS LAURENT, episcopus Chersonensis in partibus infidelium, vicarius apostolicus Luxemburgensis.

1841 *die* 5 *aprilis*. JOANNES FRANCISCUS D'HOLLANDER, can. hon. eccl. cath. Gandavensis, in Fac. theol. Theologiæ moralis prof. ord.

Eodem anno et die. ARNOLDUS TITS, can. hon. eccl. cath. Leodiensis, in Fac. theol. dogmaticæ theol. prof. ord.

Eodem anno et die. LUDOVICUS ROHRBACHER, in seminario Nanceiensi theol. prof.

Eodem anno et die. FRANCISCUS ARNOLDUS GREGORIUS KLOTH, ecclesiæ S. Jacobi Aquisgrani pastor.

1842 *die* 2 *februarii.* HENRICUS MARET, can. ecclesiæ metropolitanæ Parisiensis et Fac. theol. Par. prof.

1843 *die* 8 *septembris.* PETRUS LUDOVICUS COEUR, can. eccl. metrop. Parisiensis, eloquentiæ sacræ in Sorbona professor.

INDEX

Oratio de laudibus quibus veteres Lovaniensium Theologi efferri possunt. 1

Notæ quibus Facultatis Theologicæ historia illustratur. 23

Antiqua statuta Facultatis theologicæ. 83

Instructiones pro Magisterio in S. Theologia, olim ex Actis et Statutis collectæ. 104

Supplementum ad Valerii Andreæ Fastos doctorales S. Theologiæ, quod complectitur seriem Doctorum ab anno 1648 usque ad nostram ætatem. 121

FINIS.

Aug 8 1904

DE LAUDIBUS QUIBUS

VETERES LOVANIENSIUM THEOLOGI

EFFERRI POSSUNT

ORATIO

QUAM DIE VIGESIMA SEXTA MENSIS JULII MDCCCXLVII
HABUIT

PETRUS FRANC. XAV. DE RAM

RECTOR UNIVERSITATIS CATH. IN OPPIDO LOVANIENSI

QUUM VIROS ERUDITISSIMOS

HENRICUM JOANNEM FEYE

SS. CANONUM DOCTOREM

ET

CAROLUM DE BLIECK

S. THEOLOGIÆ DOCTOREM

MORE MAJORUM RENUNCIARET

LOVANII

EXCUDEBANT VANLINTHOUT ET VANDENZANDE,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

Deacidified using the Bookkeeper process.
Neutralizing agent: Magnesium Oxide
Treatment Date: Dec. 2005

PreservationTechnologies
A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVATION
111 Thomson Park Drive
Cranberry Township, PA 16066
(724) 779-2111

LIBRARY OF CONGRESS
0 013 991 237 8